EDVARDI CORSINI

CLER. REGVL. SCHOLARVM PIARVM

ET IN ACADEMIA PISANA

HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORIS

DISSERTATIO

ROMA

IN QVA DVBIA ADVERSVS

MINNISARI REGIS

N V M M V M

ET NOVAM

ARSACIDARVM EPOCHAM

A CL. ERASMO FROELICHIO S. J.

PROPOSITA DILVVNTVR.



ROMA

ROMAE MDCCLVII.

IN TYPOGRAPHIO PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI

PRÆSIDVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIO COMPAGNONIO
MAREFVSCHIO
VATICANAE BASILICAE CANONICO
ET SACRAE RITVVM CONGREGATIONI A SECRETIS

ROMA

EDVARDVS CORSINVS CLER. REG. SCHOL. PIAR.
FELICITATEM

ETSI plurimae, graveſque cauſſae me impulerint ut lucubrationem hanc meam ingenuo veritatis inquirendae amore ſuſceptam Tibi potiſſimum conſecrarem,

Digitized by Google

eamque nomine, & auſpicio tuo decoratam prodire cuperem; vereri tamen fortaſſe ego potero ne conſilium hoc meum ſeverioribus quibuſdam, minuſque peritis iudicibus improbetur, atque huiuſmodi argumenti genus, quod pertractandum ſelegi, ab optima ſtudiorum tuorum ratione, graviſſimoque munere, quo ſapienter adeo perfungeris, abhorrere quodammodo videatur. Alte nimirum ea opinio quorundam animis inſedit, ac neſcio quo malo litterarum fato liberius pervagatur, quod hominum ingenia, atque optimarum doctrinarum ſtudia certis quibuſdam finibus circumſcribi debeant; ideoque plurimi vel inconſulto vel temere quoque factum queruntur ſi quis ex unius honeſtiſſimae facultatis ſinu ad facultates alias deflexerit, atque ab uno ad novum aliud ſtudiorum genus convolaverit. Itaque, cum ab optimo, ſapientiſſimoque Pontifice, aequiſſimo rerum, atque ingeniorum aeſtimatore,

tore, id Tibi muneris maximo omnium plauſu commiſſum fuerit, ut in res ab hominibus vitae ſanctitate, puriorique chriſtianae virtutis ſplendore conſpicuis praeclare geſtas inquireres, prodigia ab iis divinitus patrata ſeverius explorares, eamque catholicae diſciplinae partem aſſereres, quae in religione, coeremoniis, ſacriſque ritibus praeſcribendis verſatur, erit fortaſſe qui mirum, atque a ſacris hiſce ſtudiis alienum exiſtimet ſi quod ego de Armeniae regis nummo, de Parthorum regum imperio, de nova Arſacidarum epocha diſputavi, Tibi offeratur. Ego vero perverſum hoc imperitorum hominum iudicium nihil moror, plurimumque laetor quod cordatis quibuſque viris, Tibique in primis, Praeſul ampliſſime, aliud omnino conſilium, atque ſententia merito arriſerit. Vt enim omittam artes omnes, atque honeſtiſſimas diſciplinas, quae erudiendis hominum mentibus inſtitutae ſunt, cognatio-

ne

ne quadam inter ſe contineri, atque arctiſſimo veluti foedere devinciri, quis non intelligat, atque ingenue fateatur quod inter ſacras, profanaſque hiſtorias tanta ſemper affinitas, atque coniunctio eſſe debet, ut ſi fortaſſe plurima, quae ex profanis Scriptoribus, atque eruditae Antiquitatis cimeliis veluti uberrimo, ac perenni fonte dimanant, ſuſtuleris, omnis propemodum ſacrae hiſtoriae ſplendor languere, atque extingui videatur? Id optime profecto noverant ſapientes illi, qui maxima ingenii, ſimulque pietatis gloria commendati ſuperiori ſeculo plurima profanae eruditionis capita ſubtiliter illuſtrarunt, Nummos, Marmora, & abdita quaeque antiquitatis monumenta diligentiſſime explorarunt, ut inde plurimum ſacris etiam ſtudiis promovendis, aſſerendiſque chriſtianae religionis ritibus praeſidii accederet, & ea, quae in ſacris hiſtoriis hactenus dubia, obſcura, variiſque diſſidentium Scriptorum

rum opinionibus implexa fuerant, hac ſplendida veterum monumentorum face perſpicua, atque indubia eruditorum oculis effulgerent. Iniurius profecto ſim eruditioni, ſapientiaeque tuae, Praeſul doctiſſime, ſi exempla commemorem, cum probe noveris Syriae regum ſeriem in divinis etiam Litteris indicatam, Herodiadum hiſtoriam, natalem Chriſti annum, aliaque plurima ſacrae hiſtoriae capita, de quibus graviſſimae, aeternaeque concertationes inter Scriptores exarſerant, perſpicuo certoque Nummorum praeſidio rite iam conſtituta, atque illuſtrata fuiſſe. Optime quoque noſti quod praeclara illa S. Ignatii Martyris Acta, quibus & invicti Herois certamen, & pleraque Chriſtianae religionis dogmata, & aurei primique Chriſtiani ſeculi ritus deſcribuntur, ea quoque de cauſſa a pluribus veluti apocrypha, vel plurimum ſane ſuſpecta repudiantur quod in iis aſſeratur Ignatium *Senecione &*

Sura

Sura Conſulibus, anno nimirum a Chriſto nato CVII. Antiochiae a Traiano Caeſare Parthicum iter, ac bellum meditante damnatum eſſe; cum tamen a plurimis meliorique notae Scriptoribus iter illud ad annum Chriſti CXII. referatur, adeoque graviſſimus, ac manifeſtus error in Actis illis appareat. Mihi vero vel maxime cordi fuit ut nummis aliis, atque praeclaro quoque, & hactenus quidem incognito Minniſari Armeniae regis nummo demonſtrarem quod Parthicum Trajani iter anno Chriſti CVII. *Senecione ac Sura Conſulibus* contigiſſe debuit, ideoque Martyris Acta ab inuſta falſitatis nota vindicavi. Quod ſi vel adverſa valetudine, vel anguſtia temporis minime prohiberer ne ſupremam operi, quod iampridem ſuſceperam, manum imponerem, facile, ut opinor, ex ſcriptis Marmoribus, & Anaglyphis, quae ex variis Scriptoribus diligenter collegeram, atque in unum veluti corpus ſuas in partes

tes rite diſtributum redegeram; oſtendi poſſet quod plerique Chriſtianorum ritus, ac mores, quos Heterodoxi recentes eſſe, ac rudioribus ſolum temporibus irrepſiſſe opinantur, ex antiquis etiam monimentis illis, in quibus nulla ſuſpicionis, ac erroris labes, quae frequenter adeo ſcriptis Codicibus adſpergitur, effingi poteſt, uberrime, ac invicte confirmantur; ut nihil propemodum Romana Eccleſia hac in parte ab aurea conſtantique primorum ſeculorum conſuetudine deflexiſſe demonſtretur. Itaque, cum in ſacram hiſtoriam, ſacrorumque rituum cognitionem ex profanis etiam Scriptoribus, ex veteribus monumentis, atque ipſa praeſertim Nummorum ſcientia uberrima lux oriatur, immerito ſane reprehenderetur quicumque ſacris his ſtudiis addictus hanc etiam eruditionis, doctrinaeque partem Panvinii, Baronii, Noriſii, Harduini, aliorumque illuſtrium Virorum exemplo ſibi ad-

diſcendam, atque pro viribus illuſtrandam ſuſceperit. Sed litteris, atque otio abutar, ſi tecum, Vir clariſſime, modo differens rationibus, & exemplis aliis hic immorer, quibus illuſtrius adhuc appareat eximium hoc argumenti genus, & Parthicae hiſtoriae capita, quae illuſtranda ſuſcepi, neque a ſtudiis hiſce tuis, neque a graviſſimis officii, muneriſque tui rationibus abhorrere. Optime nimirum novi, idque maxima Eruditorum omnium conſenſione teſtatum conſpicio quod Tu omnigenae eruditionis amore incenſus non ſacris modo, ſed profanis etiam hiſtoriis impenſe delectaris, diſciplinas omnes, & optima quaeque liberalium artium ſtudia complecteris, quemadmodum prorſus amaenioribus litteris, quibus ab ineunte aetate mirifice inſtructus maximam de Te ſpem excitaſti, graviora deinde Philoſophiae, Theologiae, ac Iuriſprudentiae ſtudia perenni ardore coniunxiſti. Nec aliunde ſane

ego

ego factum putaverim , ut praeſtantiſſimos quoſque viros , qui in hac Urbe bonarum artium altrice florent , incredibili prorſus amore excipere , omnique humanitatis , ac officiorum genere complecti conſueveris , iiſque ditiſſimae ſeleċtiſſimaeque Bibliothecae tuae praeſidia patere velis . Quae quidem eximia ingenii , ac doctrinae tuae ornamenta , quamvis ipſa per ſe ſplendida ſint , eo tamen nobiliora cenſeri merito debent quod incredibili prorſus modeſtiae , comitati , prudentiae , pietati , religioni , ceteriſque praeclaris animi dotibus ita conjuncta ſint , ut avita generis gloria , & doctrinarum ſplendor , cum virtutum decore in Te certare videatur . Itaque mihi nunc optimo , graviſſimoque iure laetandum quod ex eiuſmodi meritorum , laudumque tuarum gloria plurimum quoque ſplendoris in laborem hunc meum manare poſſe confidam , atque hanc ipſam laborum meorum , quicum-

que ii fuerint, rationem exemplo tuo, iudicioque graviſſimo probari conſpiciam. Quod ſi deinde in me, Ordinemque meum oculos convertam, intelligo ſane, atque propemodum ſentio tenuem hunc ſtudiorum meorum fructum veluti perenne memoris, gratique animi pignus Tibi deberi, adeoque merito conſecrari. Etenim noſtrum cuilibet aſſidue obverſatur amor ille, ac benevolentia propemodum ſingularis, qua a teneris etiam annis ad virtutis indolem plane factus, dum apud nos in Collegio Nazareno primos pietatis, ac doctrinae fructus exprimeres, univerſum Scholarum Piarum Ordinem complecti conſueviſti; perennis eſt etiam futura, & iucundiſſima recordatio eius pietatis, qua B. Ioſephum Calaſanctium Ordinis Noſtri Auctorem veneraris, plurimumque conſilio, atque auctoritate tua efficis, ut ſanctiſſimo Viro de litteris, de pietate, de Chriſtiana Republica praeclare meri-

to

Digitized by Google

to ſupremi tandem honores rite, ſanćteque ab Apoſtolica Sede decernantur; omnium denique animis infixa eſſe debent beneficia illa, quibus aſſidue Ordinis huius alumnos cumulare voluiſti. Itaque tantum abeſt ut reprehendi poſſe ego videar ſi aliquam obſervantiae in Te meae ſignificationem, ſimulque grati animi noſtri monimentum extare voluerim, ut ingenue potius vereri debeam ne interim Tibi munus ingenio, doctrinae, dignitati, maximiſque meritis in nos tuis longe impar conſecraverim. Quandoquidem tamen illuſtrius aliud offerri modo non poterat, illud a Te, Maecenas optime, ſperare, mihique facile polliceri poſſe confido, ut hoc ipſum, benigne, ac perhumaniter complectaris, meque, Ordinemque meum Tibi devinctiſſimum praeſidio, amore, ac benevolentia tua ornare pergas.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA

OPERIS OCCASIO

ATQVE VNIVERSAE CONTROVERSIAE STATVS.

VErtente jam anno 1753. dum adhuc in Etruria degerem, ectypa quaedam imago mihi a Cl. Venuto Liburni oſtenſa fuit, quam ille jampridem ex argenteo Nummo expreſſerat, qui Romae apud Palatium modo defunctum extabat. In antica imaginis, aut nummi facie incogniti Regis caput diademate ornatum videbatur, in adverſa Hercules nudus lapidi inſidens & clavam ſupra dextrum genu veluti ſuſpenſam tenens conſpiciebatur cum epigraphe.

..ΑΣΙΑ. ΜΙΝΝΙΣΑΡ ΣΩΤΗΡΟ ΤΑΓ

Quum eandem prorſus adverſae partis imaginem, & eandem fere epigraphem in duobus Monneſis nummis Parthica aera inſignibus inſpexiſſem, facile conjeci ineditum hunc nummum alterius inſtar, quem ipſi ſimilem Florentiae in ditiſſimo Stoſchiano muſeo deinde conſpexi, ad aliquem ex Parthiae, vel Armeniae regibus ſpectare; ideoque ſedulo explorare coepi num ullus Gentium illarum rex in Scriptoribus haberetur; ad quem nummus ille, & aera ipſi inſculpta referri poſſet. Tandem in Dione, ſive in Dionis Excerptis, quae Theodoſii nomine circumferuntur, Maniſarus quidam affulſit, qui Trajani Caeſaris aetate, poſtquam Choſroes Parthiae regnum anno V. C. 853. adeptus Exedarem Armeniae regem ejecerat, ac regnum illud Parthamaſiridi nepoti ſuo circa annum 857. conceſſerat, Armeniam ac Meſopotamiam occupavit. Quemadmodum vero Trajanus, cum accepiſſet a Choſroe Armeniae regnum Parthamaſiridi contra Romani imperii jura conceſſum eſſe, adverſus Parthos expeditionem ſuſcepit; ita Maniſarus bello a Choſroe impetitus fuit, ideoque miſſis legatis Trajani jam adventantis opem adverſus Choſroem imploravit, ſeque Armeniam ipſam, ac Meſopotamiam Trajano ceſſurum promiſit. Itaque Dionis hiſtoria accurate perpenſa eximium hunc nummum non alteri, quam Maniſaro Armeniae regi tribuendum putavi; cumque priorem Parthicam Trajani expeditionem in an. V.C.859.

collo-

collocandam eſſe pluribus noviſque rationibus oſtendiſſem, nummum ipſum vel eodem anno 859. *vel ſuperiori* 858. *cuſum, atque annum ipſi inſcriptum in Parthica ſolum, vel Arſacidarum epocha numerandum eſſe conjeci, quae proinde ab anno V. C.* 525. *veluti cardine deducenda foret, ut annus* 333. *in illa numeratus in annum V.C.* 858., *ſive* 859. *incideret. Quandoquidem vero calculus ipſe cum Vaillantii calculo ſive ſententia componi non poterat, qui Parthici imperii ſimulque aerae Parthicae initium in anno V. C.* 504., *ſive potius* 498. *collocaverat, Vaillantii ſententiam accuratius excutiendam eſſe conſpexi; tandemque exploratis, ſimulque collatis invicem ſingulis veterum ſcriptorum teſtimoniis longe probabilius eſſe deprehendi Parthicum quidem imperium, vel Arſacidarum defectionem circa annum V. C.* 510., *Parthicam autem aeram, ſive celebrem Arſacidarum epocham circa annum V. C.* 525. *incepiſſe; atque ejuſmodi Scriptorum teſtimonia, ſimulque rationes omnes, quibus haec altera opinio a me propoſita innitebantur, ea Diſſertatione fuſius expoſui, quae Liburni primis anni* 1754. *menſibus edita fuit.*

Utramque Diſſertationis meae partem egregium Societatis Jeſu decus, & vir ingenii acumine, eruditione, & veterum numiſmatum ſcientia mire inſtructus Eraſmus Froelichius examinandam ſuſcepit, atque aureolo libello Viennae typis edito Dubia plurima tum adverſus Minniſari Regis nummum, tum adverſus Arſacidarum epocham a me conſtitutam ſubtiliter ille quidem, & accurate, ſed maxima tamen humanitate, & ea, quae viros veritatis cultores plurimum decet, honeſtate, & comitate propoſuit.

Eximius hic Liber eo quidem tempore meas in manus Romam pervenit quum novo prorſus curarum, aut ſtudiorum genere diſtinebar, eique muneri pro viribus obeundo incumbebam, quod Froelichius ipſe in Operis ſui fine perhumaniter mihi gratulatus eſt. Ne tamen doctiſſimi Viri Dubia negligere, aut diſſimulare viderer, ipſorum ſingulis, quantum temporis anguſtia, ac loci opportunitas patiebatur, ſubceſſivis horis reſpondere coepi; quum praeſertim ipſorum aliqua ſubtiliter adeo, atque ingenioſe propoſita forent, ut plurimam veri ſpeciem praeſeferre, minuſque

nuſque accuratis imponere poſſe viderentur. Ita vero diſputationem omnem, aut reſponſionis meae ſeriem diſpoſui, ut initio ſingula Froelichii Dubia eodem prorſus ordine, ac iiſdem plerumque verbis ingenue exponerem, mox ipſorum ſingulis accurate ſatisfacerem; ut, ſi fortaſſe rationibus a me propoſitis vis aliqua ſit defutura, ſinceritas tamen, aut candor in agnoſcendis erroribus, qui pridem imprudenti mibi obrepſerint, aut debita erga Cl. Virum honoris ſignificatio optari non poſſit. Num vero mibi ex voto res ceſſerit, Eruditis omnibus, ipſique Froelichio judicandum relinquo. Certe, niſi mea me fallit opinio, haec ipſa Dubia a Cl. Viro propoſita in cauſſa fuere cur ſententiam olim propoſitam novis rationibus confirmatam, atque uberiori luce perfuſam eſſe conſiderem.

PARS I.

DVBIVM I. *In nummo, quem Corſinus, & Froelichius edidit, non* Adinnigai *cum Froelichio ſed* Minniſari *nomen cum Corſino legendum eſſe defenditur, variiſque dubiis a Froelichio propoſitis reſpondetur. Errores aliqui in legendis, explicandiſque nummis ab Antiquariis admiſſi opportune indicantur, atque emendantur. Epheſinum marmor ex Froelichio allatum alicubi ſuppletur, atque illuſtratur, & Froelichii errores in eo corrigendo, explicandoque indicantur.*

DVB. II. *Inſignis Dionis, vel Theodoſii locus a Corſino prolatus contra Tillemontii ac Froelichii dubia ſincerus, & integer demonſtratur, atque Minniſaro regis nomen tum Dionis teſtimonio, tum exemplis aliis aſſeritur. Obſcurus Severi nummus conjectura explicatur.*

DVB. III. *Minniſarum in aliqua Armeniae, ac Meſopotamiae parte imperaſſe contra Froelichii dubia oſtenditur. Vaillantii error in explicando Monneſis, ac Vologeſis imperio indicatur.*

DVB. IV. *Froelichii dubia de Minniſari nummo cum Monneſis nummis collato diluuntur, & ipſius error in epocha Minniſari nummo inſcripta Seleucidis adſcribenda demonſtratur. Verus Bithynicae aerae cardo, ejuſque regni duratio contra Froelichium oſtenditur, & Syncelli locus conjectura reſtituitur.*

Dio-

Digitized by Google

Dionis locus perperam a Froelichio expoſitus explicatur. Aeram Minniſari nummo inſcriptam, indicatis Gentium aliarum epochis, Parthicam eſſe nova ratione confirmatur.

PARS II.

DVBIVM I. *Froelichii dubium, & querela refellitur, inconſtantia, quae in illo eſſe debet, oſtenditur, atque Artabani, ac Vologeſis nummos cum Arſacidarum initio ab Euſebio, & Froelichio conſtituto componi non poſſe demonſtratur.*

DVB. II. *Controverſiae ſtatus minus accurate a Froelichio expreſſus exponitur, atque Aerae Parthicae initium a Parthici regni initio diſtinguendum eſſe obſervatur. Euſebii locus novae Arſacidarum epochae a Froelichio oppoſitus explicatur, atque cum ipſa componitur. Froelichii error in citando Olympionicarum Catalogi Auctore indicatur. Moſis Cheronenſis, & Mircondi auctoritas a Froelichio oppoſita elevatur, ipſorumque errores in variis Parthicae Hiſtoriae capitibus oſtenduntur. Inſignis Juſtini locus contra Froelichium exponitur, atque cum nova Arſacidarum epocha conciliatur. Philoſtrati locus profertur, ejuſque praeſidio Corſini ſententia de Parthici regni initio confirmatur.*

DVB. III. *Arriani, vel Photii locus minus accurate a Froelichio latine redditus, ideoque perperam Corſino objectus oſtenditur. Ambiguus Euſebii, & Syncelli locus exponitur, ac illuſtratur, & Froelichii error in eo explicando demonſtratur.*

DVB. IV. *Corſini error in citando non Suidae, ſed Agathiae nomine indicatur. Gravis Froelichii error in explicando Agathiae, & Suidae loco, definiendaque Macedonici imperii duratione admiſſus oſtenditur. Depravatus Suidae locus conjectura tentatur, ac reſtituitur. Verus Syncelli ſenſus contra Froelichium oſtenditur, ac depravatus alter Syncelli, & Agathiae locus de Parthici imperii duratione indicatur, & reſtituitur. Corſini ſententia de Parthici imperii initio novo Dionis teſtimonio confirmatur. Froelichii error in legendo, explicandoque Juliae Domnae nummo oſtenditur, & nova Paltenorum epocha*

ab

ab ipſo excogitata refellitur . Obſcurus Otaciliae nummus explicatur . Iterum Suidae locus exponitur , & dubium exinde a Froelichio petitum refellitur .

DVB. V. *Froelichii error in citando , explicandoque Juſtino demonſtratur . Athenaei error oſtenditur , ejuſque locus contra Froelichium exponitur , ac reſtituitur . Froelichii error in aſſerendo Rhodii terraemotus tempore demonſtratur ; ejuſque conjectura ex Seleuci regis nummo, & Polybii loco deducta refellitur . Novus Parthicae aerae cardo a Corſino conſtitutus ex ipſius Froelichii calculo , & hypotheſi ſuadetur .*

DVB. VI. *Veterum Scriptorum omnium conſenſus a Froelichio prorſus immerito Corſino objectus oſtenditur , & ipſorum pleroſque novae Arſacidarum epochae favere , nullum vero ipſi adverſari demonſtratur .*

PARS III.

DVBIVM. I. *Nummos* Vologeſis *nomine inſignes non Vologeſi* III. *cum Vaillantio , & Froelichio , ſed Vologeſi* IV. *tribuendos eſſe demonſtratur , ac dubia a Froelichio oppoſita diluuntur . Vologeſem* IV. *in Parthia , & Armenia imperaſſe ex Dione , & Herodiano indicatur . Froelichii error , & inconſtantia in exprimendo Artabani regis initio notatur . Alia Froelichii dubia Vologeſis* IV. *nummis oppoſita dirimuntur . Parthicae aerae initium ab Euſebio , & Froelichio conſtitutum certo Vologeſis regis nummo hactenus inedito confutatur .*

DVB. II. & III. *Nummos epocha* 491. *&* 508. *inſignes non Artaxerſi , & Sapori Perſidis regibus , ſed Arſacidis Armeniae regibus tribuendos eſſe demonſtratur ; & oppoſita Froelichii dubia ſolvuntur , ac nova Arſacidarum epocha a Corſino propoſita ex ipſa quoque Froelichii ſententia confirmatur .*

DVB. IV. *Corſini error , & inconſtantia in exprimendo ejus Antiochi nomine , cujus* ſorores *Eumeni , & Ariarathi deſponſae fuerant , indicatur . Froelichii demonſtratio de Antiochide Xerſis Arſamoſatorum regis uxore Corſino objecta vitioſa , & inutilis oſtenditur , ejuſque vis elevatur . Verus Polybii a Froelichio*

lichio citati ſenſus , & Xerſis aetas a Corſino ſtatuta demonſtratur, & Antiochidem Xerſis uxorem Antiochi Magni non filiam , *ſed* ſororem *fuiſſe contra Froelichium confirmatur . Rerum a Polybio deſcriptarum ſeries , ac tempora accurate exponuntur . Polybii textus de alia Antiochi Magni ſorore , ac Mithridatis cujuſdam matre conjectura exponitur ; & Diodori locus perperam a Froelichio citatus explicatur . Gravis Froelichii error in explicando Sami regis nummo demonſtratur ; & Polybii locus a Froelichio allatus contra Froelichium ipſum exponitur , ac illuſtratur . Errores in definienda Samoſatae urbis origine , explicando Strabonis , ac Polybii loco , citandoque Strabonis teſtimonio a Froelichio admiſſi indicantur . Nummum Samo Chryſogoni filio a Froelichio tributum ipſi repugnare ex ipſa quoque Froelichii ſententia demonſtratur . Maxima Froelichii modeſtia eximiae doctrinae conjuncta merito commendatur .*

MANISARI

Armeniae , ac Meſopotamiae regis hiſtoria partim a Xiphilino , partim a Theodoſio ex LXVIII. *Dionis Libro excerpta .*

POſt haec Trajanus bellum intulit Armenis , Parthiſque propterea quod rex Armeniorum non abs ſe , ſed a rege Parthorum , diadema accepiſſet ... Hac vero expeditione contra Parthos inſtituta quum Athenas appelleret , legati Hoſrois *Parthiae regis* illic eum convenere , qui pacem petebant ... Hoſroes miſerat oratum ſuppliciter ne bello invaderetur ; & Armeniam pro Parthamaſiride Pacori & ipſo filio petebat , utque diadema illi mitteretur , rogabat ... Trajanus poſtquam in fines hoſtium pervenit cepit cuncta nullo facto praelio .... Parthamaſirim regem Armeniorum punivit , captaque Armenia tota , reges , qui deditionem fecerant , habuit in numero amicorum ; ceteros etiam abſentes abſque pugna cepit . Quum autem veniſſet in Meſopotamiam *Trajanus* , jamque miſſi pacis componendae praecones , & legati eſſent tam a Mano Arabiae finitimae Phylarcho , quam a Maniſaro , cui bellum Hoſroes inferebat , ideoque ſe hic Armenia , Meſopotamiaque , quam ceperat , ultro ceſſurum offerret , nec Maniſaro ſe fidem prius habiturum reſpondit , quam profectus ad ſe , quemadmodum pollicebatur , ipſis factis promiſſa confirmaſſet ; & quum aliis de cauſſis Manum ſuſpectum habuit , tum quod auxiliares ille copias Adiabenes regi Mebarſapi ſuppeditaſſet , ac totam a Romanis interceptam prorſus amiſiſſet.

Digitized by Google

ſet. Ideoque non amplius eos, ut ad ſe venirent, expectandos duxit; ſed in Adiabenem ad ipſos deflexit. Hoc modo tum Singata, tum alia quaedam oppida citra pugnam ullam, opera Luſii ducis in poteſtatem venerunt... Tum vero multa Trajano decreta ſunt a Senatu, ſed in primis Optimus cognominatus eſt..... Ad haec Niſibi, Batniſque captis Parthicus cognominatus eſt. [a]

[a] *Pag. 779. &c.*

APPROBATIO.

Viri clariſſimi, ſapientiſſimique Edvardi Corsini librum; quo propoſita a P. Froelichio de Minniſari nummo, Arſacidarumque epocha dubia, modeſte quidem, ſed nitide, inviſteque diluuntur, ſepoſito quovis amicitiae ſtudio, quo cum Corsino jamdudum conjungor, jubente Rmo P. S. A. P. Magistro, ſedulo recognovi, atque expendi. Et, quemadmodum mihi viſum eſt, excelſum illud ingenium, omnigenaque doctrina, quibus inſignis hic Scriptor tantam nominis celebritatem ubique gentium ſibi comparavit, vel in hoc exiguo opere mirifice elucent. Acre, prudenſque illius judicium in rebus maxime implexis enodandis, ſingularis perſpicuitas in dubiis veterum Scriptorum locis interpretandis, reſtituendiſque, lucidus ordo in obſcuris Parthicorum Regum temporibus, ac dynaſtiis diſtinguendis, oratio elegans, pura, gravis, ſelectiori cum eruditione conjuncta cuivis legenti occurret, nihil vero, quod ſacerrima Religionis dogmata, rectamque morum diſciplinam, vel minimum temerare poſſit. Quapropter, ubi primum vulgabitur, bonarum artium incremento, litteratorum commodo, & Italici nominis ſplendori optime, vereque conſultum putavero. Romae XVI. Kal. Decembr. 1756.

Paulus M. Paciaudius C. R.

IMPRIMATVR,
Si videbitur Reverendiſs. Patri Sac. Pal. Apoſt. Mag.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATVR,
Fr. Vincentius Elena Reverendiſs. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Praed.

PARS

PARS PRIMA

DVBIVM I.

Ab ipſo Regis nomine, cujus nummum vulgavi, dubia adverſum me propoſita exorditur Froelichius; cumque accuratam nummi alterius imaginem, quam Clar. Gorii opera ex Muſeo Stoſchiano Florentia acceperat, aeri inſculptam exhibuiſſet, in qua legitur ΑΣΙΑ. ΑΔΙΝΝΙΓΑ°. ϹΩΤΗΡΟϹ, aſſerit quod ſibi *dubium moleſtiſſimum ſubortum eſt, rectene lectum ſit* a Corſino *nomen Minniſari in ectypa imagine* ΑΣΙΑ. ΜΙΝΝΙΣΑΡ. ϹΩΤΗΙΡ°. ΤΑΓ. *quando in ipſo prototypo Stoſchiano legitur* ΑΣΙΑ. ΑΔΙΝΝΙΓΑ°. ϹΩΤΗΡΩϹ. ΤΑΓ [1]: *Regis Adinnigai Servatoris* anno 333.; ideoque, cum nummum ipſum ectypae imagini praeferendum exiſtimet, concludit Froelichius quod *dubitare magnopere licet, utrum ex* ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ, *vel ſimili ſaltem vocabulo* MANISARVS *enaſci probabiliter poſſit?*

Vt hiſce dubiis a doctiſſimo Viro propoſitis ſatisfiat, obſervari maxime velim quod, quamvis etiam in Stoſchiano nummo vel ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ, vel, ut Froelichii verbis utar, ſimile ſaltem vocabulum legeretur; ego tamen exinde non MANISARI nomen, quod longius ab illa voce deflecteret, ſed MINNISARI vocem exſculpendam putarem, quae Graecis characteribus exarata ad vocem nummo inſcriptam proxime accedit; cum in nummo a me edito non ΜΙΝΝΙΣΑΡ, ut Froelichius expreſſit, ſed ΜΙΝΝΙϹΑΡ habeatur, ac levi facilique

(1) *Pag. 6.*

cilique mutatione ab imperito artifice AΔINNITAPOY pro MINNIΣAPOY exprimi potuerit. Ac certe quidem nihil eruditae Antiquitatis cultoribus, qui nummos & marmora inſpexerint, magis compertum eſſe poteſt, quam quod in literis A, Δ, Λ, M, confundendis centies in nummis, ac lapidibus peccatum fuit, ut ex tribus prioribus una alterius loco temere uſurpata ſit, atque ex A, & Δ, ſive A, & Λ, ſive denique ex Λ & Λ temere conjunctis effecta ſit M; ſive viciſſim ex M duas in partes diſcerpta A & Δ, ſive A & Λ, ſive Λ & Λ prodierint.

Sic, ut exemplis aliquot id oſtendatur, ſimulque varii Antiquariorum errores nunc primum opportune a me corrigantur, in Domitiani nummo apud Patinum legitur KAΛΘHNΩN, pro KAΔΘHNΩN. In Elagabali nummo apud Goltzium [1] legitur AΔIPBHNOC, ſed apud Geſnerum [2] ΛAIPBHNOC. In Muſeo Theupolo [3] nummus inſcribitur OYIOΛΛANO. YΠATO, latineque redditur *Viollano Conſule*; cum tamen legendum eſſe vix dubitem αOYIOΛA ANΘYΠATOυ. *Aviola Proconſule*. In alio legitur [4] IEPOMNAAIAI. ΣEOYHPOΣ, ac latine redditur *Sacrae recordationes*. *Severus*, cum legendum putem IEPOMNAμων AIΛIος ΣEOYPOΣ *Hieromnemon Aelius Severus*. In Abgari Regis nummo legitur [5] BAΣΑΛIAΣ EΠ. ABΓAP. *Rex ..... Abgarus*, certoque exarari debuit BAΣ. Λ. AIΛ. ΣEΠτιμιος ABΓAPος, *Rex Lucius Aelius Septimius Abgarus*. Apud Geſnerum nummus occurrit [6] cum Viri capite, atque in averſa parte equus decurrens cum epigraphe retrogradis litteris exarata ƆON-NOIΔ, eumque nummum incogniti viri eſſe dicit Geſnerus. At ego ſuſpicor ad eundem illum virum ſpectare, in cujus nummo apud Geſnerum ipſum legitur [7] MONNOC, ideoque pro M temere exaratum fuiſſe ΔI. In nummo apud Haymum [8], cujus antica pars exhibet Abgarum Oſrhoenes regem cum epigraphe BAσιλευς ABΓAPOΣ, in poſtica rex alius exhibetur

(1) *pag. 322.* (2) *tab. XXV. n. 27.* (3) *pag. 1104.* (4) *pag. 914.*
(5) *pag. 1220.* (6) *tab. LXXXIV. num. 9.* (7) *Vir. Ill. tab. IV. num. 22.*
(8) *Tom. II. pag. 57.*

betur cum epigraphe ΑΛΑΝΝΟΣ; ego vero quolibet pignore contenderim ibi non ΑΛΑΝΝΟΣ, ſed ΜΑΝΝΟΣ legendum eſſe; ideoque nummum ad Mannum illum Arabiae Regem referendum, qui Dione teſte Abgari inſtar ad Trajanum confugit: niſi poſteriorem potius *Manum*, vel *Mannum* putaveris, qui Septimii Severi, & Abgari alterius aetate floruit, ac nummos alios edidit, ut inferius obſervabitur. Denique, ut Parthici nummi alterius exemplum hic proferam, in Vaillantii nummo alibi a me deſcripto [1] legitur ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ, ac ignoti Regis ſedem ego quoque in ſuperiori Diſſertatione conjecturis exploravi. At in ſimili prorſus nummo, quem mihi Romae Cl. Barthelemy conſpiciendum obtulit, perſpicue diſerteque legitur ΑΒΔΙΣΣΑΡΟΥ; quemadmodum in Tacito ABDVS [2], & ABDAGESES [3] memorantur, qui Claudii Caeſaris aetate inter primores Parthiae viros floruerunt. Itaque his exemplis apparet quod in hoc etiam Stoſchiano nummo facile character M duas in partes Λ & Δ, ſive potius Λ Δ diſcerptus, praveque expreſſus fuit. Longe tamen plura ex lapidibus exempla proferri poſſent; ſed, ne in re perſpectiſſima diutius immorer, in epigraphe quadam a Cl. Maffeio edita legitur

ΟΥΑΠΙΑ
ΛΑΙΔΙ
ΟΓ ΤΡΟΦΙΛΔΟΙ

ubi Cl. Editor [4] optime conjecit ΤΡΟΦΙΜΟΙ legendum eſſe, quod nimirum vel ſcriptoris, vel quadratarii vitio character M duas veluti in partes diſcerptus exprimatur.

Juverit etiam exemplum aliud ex Froelichio ipſo proferre, non modo ut haec diſputatio aliqua veterum monimentorum varietate exornetur, verum etiam ut illuſtre marmor accuratius exponatur. Froelichius in *Animadverſionibus in veteres nummos urbium* ubi de *Attudeorum* nummis agebat, hanc

(1) *Diſſ. de Minniſ. pag.28.* (2) *Annal. lib. VI. 31.* (3) *Lib. VI. 36.*
(4) *Muſ. Veronen. pag. 316. num. 5.*

hanc epigraphem Epheſi repertam iiſdem prorſus notis, eademque interpretatione illuſtratam attulit, quibus hic exhibetur.

ΑΥΤΟΚΡΑτορος ΚΑΙΣ	
αΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΠΑΡ	*υιον Θεου*
ΘΙΚΟΥ ΥΙΟΥ ΘΙΟΥ νερΟΥΑ	*lego* N.
υΙΩΝΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ	*pro* Υ. *in fine.*
ΣΕΒΑΣΤΟΥ	
ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ	*Pedo Carus*
ΕΦΕΣΙΩΝ ΒΟΥΛΗΚΑΙΟΝΕΩ	*ſub Trajano*
ΚΟΡΟΣ ΔΗΜΟΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ	*Coſ.*
ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΕΔΟΥΚΑρ	
ΟΥ ΠΡΕΙΣΚΕΙΝΟΥΨΗΦΙΣ	κλ. *lego*
ΜΕΝΟΥ ΤΙΒ ΚΑΙΤΑΛΙΚΟΥ	*pro* κα.
ΤΟΥΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ	
ΕΡ ΕΠΙΣΤΑΤΗΣΑΝΤΟΣ	εφ. *lego*
ΤΙΒ ΚΑ ΠΕΙΣΩΝΕΙΝΟΥ.	*pro* ερ.

„ Sic interpretor: „ *Imperatoris Caeſaris Divi Trajani Parthici* „ *Filium, Divi Nervae nepotem, Trajanum Hadrianum Auguſtum,* „ *colentes Auguſto addictus Epheſiorum Senatus, & Neocorus Po-* „ *pulus conſecrarunt, ſub Pro-Conſule Pedone Caro, Priſcini filio,* „ *ſuffragium ferente Tiberio Claudio Italico Scriba Populi Epheſio-* „ *rum, Praeſide Tiberio Claudio Piſonino.*

In XI. verſu optime feliciterque obſervat Froelichius pro ΚΑ, quod temere exaratum fuit, legendum eſſe ΚΛ; ideoque novum adhuc exemplum differenti mihi ſuppeditat quod ſaepiſſime in litteris Α, & Λ temere confundendis erratum fuit. Ita quoque feliciter in 3. verſu ΘΕΟΥ pro ΟΙΟΥ legendum eſſe obſervavit; viciſſim tamen perperam ΥΙΟΝ legendum conjecit, cum optime ΥΙΟΥ exaratum ſit. Ita quoque fallitur cum in 13. verſus initio ΕΦ pro ΕΡ reſcribendum aſſerit, ac 'Εφεσίων vocem hac ſigla deliteſcere exiſtimat. Siquidem perſpicue certoque legendum ΕΡΓΕΠΙΣΤΑΤΗΣΑΝΤΟΣ *operi praefecto*: non modo quod conſuetus Pſephiſmatum

tum

Digitized by Google

tum ritus id poſtulat, verum etiam quod in Gudii Praefatione num. 57. marmor aliud occurrit Epheſi poſitum, in quo diſerte legitur

ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ Τ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΦΟΥΛ (hic quoque reſcribendum Φουλβίου) ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΥ ΨΗΦΙΣΑΜΕΝΟΥ ΜΑΜΙΟΥ ΚΑΡΙΔΗΜΟΥ ΤΟΥΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΕΡΓΕΠΙΣΤΑΤΗΣΑΝΤΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΤΟΥ ΕΝΔΙΑΝΟΥ ΜΑΓΝΟΥ ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ

Sic denique cl. Froelichio *Pedi* nomen impoſuit, ut ibi de *Pedone* agi putaret, qui vere anno V. C. 868. ſub Trajano Conſul fuit. Siquidem *Pedo* Conſul eodem anno, dum Antiochiae una cum Trajano ſecundae Parthicae expeditionis tempore moraretur, terraemotus impetu, Dione teſte [1], oppreſſus fuit, & *ſtatim mortuus eſt*; ideoque Adriani aetate ſuperſtes, & Aſiae Proconſul eſſe non potuit.

Accedit etiam quod Conſul ille tum in Dione, tum in Faſtis omnibus non *Pedi*, ſed *Pedonis* nomine vocatur, in quibus non *Pedus Carus Priſcinus*, ut in Epheſio Marmore habetur, neque *C. Papilus Carus Pedo*, ut in Tiburtino lapide legitur, ex quo in Panvinii, Petavii, aliorumque Faſtos nomen illud temere irrepſit; ſed *M. Vergilianus Pedo* nominatur [2]. Itaque *Pedus Carus Priſcinus* in Froelichii Marmore nominatus a Pedone Conſule diſtingui debet.

Quamvis ergo in Stoſchii nummo pro M. exaratum foret ΛΔ, nihil tamen veriſimilius admitti poterat, quam MINNIΣAPOY legendum eſſe; ideoque in ejuſmodi nummo non alium, quam *Minniſarum*, ſive *Maniſarum* Armeniae Regulum Dioni memoratum, indicari; cum in illo ſolum characteres alii, ac praeſertim epocha nummo inſcripta facile intelligi, ſalvarique poſſit. Ceterum, ſi quid conjecturis hic aſſequor, Froelichius ipſe, licet in Stoſchii nummo non ΛΔΙΝΝΙΓΑ', ut vere nummus ejuſque exemplum aere expreſſum requirit, ſed ΛΔΙΝΝΙΓΑΟΥ ſcriptum, vel legendum

(1) *Lib. 68.* (2) *Vid. Noriſ. Epiſt. Conſul.*

dum exiſtimet, hoc tamen verum Regis ejus nomen eſſe non contendit, ibique vel ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ, vel *ſimile ſaltem vocabulum* ſcriptum arbitratur; ideoque, niſi plurimum fallor, Froelichius ipſe tacite ſubindicat vel ΑΔΙΝΝΙΣΑΡΟΥ, vel ΑΛΙΝΝΙΣΑΡΟΥ legi poſſe. Sed quamvis etiam verum Regis nomen nummo inſcriptum compertum foret, certoque Froelichius oſtendere poſſet non ΜΙΝΝΙΣΑΡΟΥ, ſed ΑΔΙΝΝΙΓΑΟΥ, legendum eſſe, nihil tamen exinde vel hypotheſi, vel conjecturae, quam Eruditis propoſui, detractum foret; eumque *Minniſarum*, vel *Adinnigaum* non alium eſſe cenſerem, quam qui a Dione memoratur; ideoque, niſi error in nummo potius, quam in Dionis codice, admiſſus dicatur, in Dionis textu non *Μανίσαρος* ſed *Ἀδιννίσαρος* ſcribendum eſſe putarem. Itaque mihi cum Cl. Froelichio non de Regis hiſtoria, aetate, ditione, ſed de ſolo ipſius nomine controverſia foret, in quo tamen legendo meis potius conjecturis, quam Froelichii dubiis, tribuendum eſſe confido; cum praeſertim Froelichius [1] quidem Stoſchii nummum Palatiano ſimilem, eodem typario procuſum, ideoque *prototypum* eſſe conjecerit, ex quo ectypa imago mihi communicata expreſſa fuerit; mihi vero plane incognitum ſit an Palatii nummus, ex quo imago illa mihi communicata deſumpta fuerat, a Stoſchiano diſtinctus ſit, adeoque in illo, quamvis cetera gemina, vel ſimilia ſint, characteres tamen aliqui, ut fieri plerumque ſolet, aliter efformati, praveque expreſſi ſint; quemadmodum ſane in Palatiano ΣΩΤΗΙΡΟ, in Stoſchiano vero ΣΩΤΗΡΟΣ reperitur.

DVBIVM II.

At opponit Froelichius [2] quod nummus iſte, quocumque demum nomine inſcriptus ſit, Maniſaro Dionis adſcribi non poteſt, ideoque ſubdit *haereo anxius ſatin tuto* ΒΑΣΙΛΕΩΣ Regis *titulus tribuatur Maniſaro, qui in numiſmate iſto* MANNISARO (ADINNIGAO) *adſcriptus cernitur.* Quam-

(1) *pag.* 6. (2) *pag.* 7.

Quamvis enim Dio, inquit Froelichius[1], Maniſarum memoret, ipſum tamen *Regis* nomine nullibi appellat; cum tamen Mebarſapen *regem* fuiſſe mox dicat. Illud etiam opponit, quod verba illa, quae a me veluti ex Dione prolata fuerant, non Dionis, ſed Theodoſii ſunt; *neque locus ille ſatis ſanus, aut ſatis integer eſt, ſed quae de Maniſaro dici, deque Armenia, & Meſopotamia videntur, ea ad Choſroen Parthorum regem propemodum certo ſunt referenda*. Quid enim, inquit, Maniſarus ſe Armenia ac Meſopotamia occupatis ceſſurum polliceri poterat, cum Armeniae Regnum a ſolo Choſröe Exedari ereptum, & Parthamaſiridi conceſſum foret? Certe Tillemontius a Corſino laudatus Maniſarum *dynaſtam* quidem, ſed non *Regem*, putavit; ac Dionis locum ſibi parum cohaerere dixit, cum Armenia a ſolo Choſroe occupata, a ſolo Choſroe Trajano offerri potuerit. Itaque, concludit Froelichius, cum Dionis Maniſarus neque Armeniam occupaverit, neque *Regis* nomen aſſumpſerit, nummus *Regis* nomine inſignis illi adſcribi non poterit. Haec Froelichius.

Ea tamen dubia facile, ut opinor, ex optimi doctique viri, aliorumque etiam animis eximi poterunt, ſi res ingenue accurateque expendatur. Quis enim Dionis locum a me prolatum ea de cauſſa aut refellere, aut in dubium revocare unquam poterit, quod ille non integrum Dionis contextum, ſed ſola Dionis Excerpta a Theodoſio facta contineat? Certe Eruditis omnibus Excerpta illa maximo in pretio eſſe debent, ac ſaepiſſime non alio, quam *Dionis*, nomine citari illa ſolent; quemadmodum Froelichius ipſe teſtimonia ex his Excerptis aliquando proferens, ubique ſolum *Dionis* nomen expreſſit,

At, inquiet Froelichius, Theodoſius ipſe, vel Dio nullibi Maniſaro ſuo *Regis* nomen conceſſit. Quid inde? Si Scriptor ipſe in integro hiſtoriae contextu characteres illos expreſſit, qui perſpicue certoque vel *Regem*, vel *Regulum*, vel *Dynaſtam* deſignant? Etenim Maniſarum Armeniam, ac Meſopotamiam, earum nempe partem, occupaſſe dicit Dio; bellum

(1) *pag.* 8. 9. 10.

lum a Choſroe adverſus Maniſarum inſtructum eſſe teſtatur; Legatos a Maniſaro ad Trajanum Caeſarem miſſos eſſe ſcribit, qui Caeſari Armeniam, ac Meſopotamiam Minniſari nomine offerrent, ideoque cum Caeſare foedus inirent; Trajanum Maniſaro pacem, ſi promiſſa factis impleret, promiſiſſe demonſtrat. Quis e characteribus, & circumſtantiis illis *Regis* poteſtatem in Minniſaro non agnoſcat, quamvis ab Hiſtorico *Regis* nomen omittatur? Ita propemodum Mannus non *Rex*, ſed *φυλαρχος* eodem ipſo in loco a Dione vocatur, ſicuti Spartianus [1] earum regionum dominos *Toparchas* appellat; nec ullus tamen dubitandi locus eſſe poteſt, quin Mannus ipſe *Regis* etiam nomine donaretur; quemadmodum Mannus ipſius filius, aut nepos in Lucillae nummo ΒΑCΙΛΕΥC ΜΑΝΝΟC vocatur. Certe Seguinus [2] ipſe Manum Trajano coaevum, atque Dioni memoratum, Arabum *Regem* adpellat.

Ac, ne plura id genus exempla perſequar, Froelichius ipſe [3], cum nummum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ nomine inſcriptum reperiſſet, feliciter ipſum ad Samum Chryſogoni filium referendum putavit, qui a Polybio memoratur; quamvis Samus ille neque *Rex* a Polybio appelletur, neque ullum prorſus ex iis Regis indiciis praeſeferat, quorum plura in Minniſaro concurrere jam vidimus.

Fruſtra vero Tillemontius, ac Froelichius Dionis textum aut mutilum, aut depravatum eſſe ſuſpicantur; ideoque quae in illo de Minniſaro dicuntur, ad Choſroem referenda arbitrantur; perinde quaſi Choſroes ſolus Armeniam occupaſſet, eamque ſe Trajano ceſſurum polliceri potuiſſet. Etenim, ſi integer Dionis locus accurate perpendatur, perſpicue conſtabit quod ille, qui Armenia, ac Meſopotamia cedere pollicebatur, bello a Choſroe impetebatur; ideoque Choſroes eſſe non poterat. Accedit etiam quod Choſroes pacem ſolum rogavit, nunquam vero Armenia ſe ceſſurum promiſit, ſed eam potius Parthamaſiridi fratris filio impetrare ſtuduit; ideoque promiſſa illa, quae a Dione memorantur, non

(1) *In Hadr.* (2) *Seguin. Sel. Numiſm. p.* 158. (3) *pag.* 99. 101.

non ad Choſroen, ſed ad alium, perſpicue certoque referri debent. Quod vero Tillemontio duce Froelichius opponit Armeniam a Maniſaro occupatam non fuiſſe, ideoque ipſam a Choſroe ſolum promitti, vel reſtitui potuiſſe, vim facile haberet, ſi Dionis verba nonniſi de Armenia univerſa intelligi deberent, non vero ſi de ſola quadam ipſius parte commode ſumi poſſent; quemadmodum ſane e plurimis exemplis apparet quod ubi confuſe Provinciarum, vel Regni nomen exprimitur, aliqua ſolum ipſius pars indicatur. Ita Spartianus [1] de Severo loquens ait, quod ipſe *Perſarum regem Abgarum ſubegit*, & Aurelius Victor [2] ait *ſubacto Perſarum rege nomine Abgaro*; cum tamen Abgarus ille non univerſae *Perſidis*, ſed Oſrhoenes ſolum, quae Perſidis, aut Parthiae, ſive accuratius Meſopotamiae pars fuerat, rex fuerit; ideoque melius a Dione [3] apud Xiphilinum *Abgarus rex Oſrhoenorum* vocetur. Ita propemodum, ne ab hoc ipſo Dionis loco, & Trajani hiſtoria digrediar, Trajanus Caeſar, cum primum Niſibim, & Batna occupaſſet, *Parthicus* a militibus eſt appellatus, perinde quaſi Parthiam univerſam ſubegiſſet; cum tamen exigua ſolum ipſius parte potitus eſſet. Nec aliunde ſane factum putaverim, quod Severus, qui Arabiam, & Adiabenem ſubegit, in nummis [4] PARTH. ARAB. PARTH. ADIAB. dicatur, cujus cauſſam Tillemontius [5] ignorare ſe dixerat, niſi quod ſemel iterumque Severus *Parthici* nomen obtinuit, ſolaque Arabia Parthiae parte occupata *Parthicus Arabicus*, mox Adiebene altera Parthiae parte potitus *Parthicus Adiabenicus* ſit appellatus. Sed quid in re perſpectiſſima exempla alia perſequar, cum Froelichius ipſe hanc explicandi rationem uſurpaverit? Dixerat Appianus [6] quod Antiochus IV. ſive *Epiphanes ἐστράτευσε ἐπὶ Ἀρταξίαν τῶν Ἀρμενίων Βασιλέα exercitum duxit adverſus Artaxiam Armeniorum regem*; cumque Froelichius [7] intelligeret in Armenia Zadriadem quoque tunc temporis imperaſſe, Artaxiam

(1) *In Severo c.18.* (2) *In Sev.* (3) *Libr. 77. p. 875.* (4) *Muſ. Theup. p. 564.* (5) *In Sever. art. 17.* (6) *Syriac. p. 117. 130.* (7) *Pag. 96. 97.*

partis Armeniae regem vocavit, quamvis ille ab Appiano Armeniae vel Armeniorum rex appelletur. Igitur eadem prorſus ratione Minniſarus ſe Armenia, ac Meſopotamia *occupatis*, ea nimirum ipſarum parte, quam occupaverat, ſe ceſſurum polliceri poterat.

DVBIVM III.

Exinde quoque Maniſarum Dioni memoratum ex Armeniae regum ſerie expungendum putat Froelichius [1], quod iis temporibus tum integra, tum accurata Regum illorum ſeries in Scriptoribus habeatur, qui in Armenia imperarunt; ideoque nullus aut Maniſaro Dionis, aut Minniſaro meo inter Armeniae Reges locus eſſe poſſit. Certe, inquit ille, Tiridati Armeniae Regi Exedares ejus filius ſucceſſit, eoque expulſo Parthamaſiris Choſroïs nepos Armeniam occupavit. Itaque ſubdit [2] *Cuivis judicandum relinquo, ſitne ulla ratione probabile, hoc rerum ſtatu, certo Armeniae Rege Parthamaſiride, florentibus maxime Choſrois rebus, Armeniam, ac Meſopotamiam poſſediſſe Maniſarum neſcio quem, atque de his Trajano ab ſe reddendis per Legatos Maniſarum potius, quam Choſroem, egiſſe.*

Nollem doctiſſimum Virum levibus adeo dubiis, & conjecturis indulſiſſe. Quid enim prohibet quin florentibus etiam Parthorum rebus major Armeniae pars Parthamaſiridi, aliqua ipſius pars Exedari expulſo, alia Maniſaro, alia Regulis aliis paruerit? Quis conjecturis locus ſupererit, ubi Dio nitide diſtincteque teſtatur Maniſarum Armeniam, ac Meſopotamiam, hoc eſt, ut antea dixi, ipſarum partem occupaſſe, eaque de cauſſa a Choſroe bello impetitum Trajani Caeſaris opem imploraſſe? Certe, ſi Froelichii inſtar, his dubiis innitamur, inter Parthiae reges nullus etiam *Monneſi* locus ſupererit; cum tamen nummorum teſtimonio compertum ſit quod ipſe certo Parthiae rege Vologeſe Parthiam ipſam, hoc eſt

(1) *Pag.* 11. (2) *Pag.* 12.

eſt ipſius partem, occupavit[1], aſſumptoque *Regis* nomine nummos ſignavit. Florentibus Romanorum rebus Eutropio teſte *Armenia, & Arabia Provinciae factae ſunt*; & tamen Mannus Arabiae Rex L. Veri temporibus in nummis occurrit; & quamvis Arabia a Romanis anno V. C. 958. occupata foret, Mannus tamen Arabiae Rex aut Phylarchus anno 960. memoratur. Certo Armeniae Rege Parthamaſiride Abgarus tamen Oſrhoenem, Sporaces Anthemuſiam occupabat, quarum utraque Meſopotamiae pars eſt. Severi Caeſaris aetate anno V. C. 951. Armenia, Meſopotamia, & Arabia ſuis Regibus Dioni memoratis parebant, & tamen anno V. C. 952. in Atrena regione, quae juxta Stephanum Meſopotamiae, juxta Herodianum Armeniae, juxta Zonaram Arabiae pars fuit, rex *Barſemes* imperabat[2]. Itaque perſpicuis his exemplis ex eodem ipſo Dione petitis apparet quod, quamvis Regnum, aut Provincia quaedam alicui ſubjecta dicatur, in aliqua tamen ipſius parte Rex, aut princeps alius imperaſſe potuit; ideoque, licet Armeniae Rex Parthamaſiris dicatur, nihil eſt tamen cur in aliqua Armeniae ipſius parte etiam Maniſarus imperaſſe non potuerit. Ita Vologeſes, ac Monneſes uno, eodemque tempore in Parthia, hoc eſt in variis Parthiae partibus, imperarunt. Quamvis enim Vaillantius exiſtimet quod Monneſes Vologeſem regno expulerit, ac nummos epocha 422. inſignes cuderit, proximoque anno Vologeſes, expulſo vel defuncto Monneſe, regnum recuperaverit, ac nummum epocha 423. inſignem ediderit; compertum eſt tamen quod Monneſes ipſe triennio ſaltem in aliqua Parthiae regione imperavit, cum ipſius nummus occurrat, in quo epocha 425. reperitur. Ac, ne ceteris exemplis immorer, quae facile proferri poſſent, Froelichius[3] ipſe ex Sami regis nummo optime feliciterque conjecit quod Samus in aliqua Syriae parte, ſive in aliqua prope Euphratem Provincia regnaverit; quamvis id a nullo Scriptore memoretur, & integra ac perennis Syriae Regum ſeries in Hiſtoricis habeatur. Ergo

(1) *Appian. Parth. pag.* 270. (2) *Herod. libr.* III. (3) *Pag.* 101.

go Froelichius ipſe, ne ſibi inconſtans, & contrarius videatur, atque ea argumenta proponat, quae adverſus ipſum converti facile poſſint, neceſſario fateri debet Maniſarum in aliqua Armeniae parte imperare, ideoque nummos *Regis* nomine inſignes cudere potuiſſe.

DVBIVM IV.

PLurima ſimul hoc loco proponit Froelichius, ut ex ipſa quoque nummi forma deducat Minniſari nummum ab Armeniae Regum nummis diſſidere, adeoque Maniſarum Armeniae regibus accenſeri non poſſe.

Vt leviora diſſimulem, dixeram Minniſari nummum duplici Monneſis nummo ſimilem eſſe, cum in utroque ex nummis illis legatur **ΒΑCΙΛΕΩC ΜΟΝΝΗCΟΥ ΣΩΤΗΡΩC**, ſicuti in Minniſari nummo legitur **ΒΑCΙΛΕΩΣ ΜΙΝΝΙΣΑΡΟΥ ΣΩΤΗΡΩΣ**. Reponit Froelichius [1] in altero ex his Monneſis nummis legi ΒΑCΙΛΕωC ΒΑCΙΛΕωΝ ΜΟΝΝΗCΟΥ CωΤΗΡΟC ΕΠΙΦΑΝΟΥC, in alio ΒΑCΙΛΕΩC ΜΟΝΝΗCΟΥ CΩΤΗΡΟC ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, adeoque Maniſari nummum, in quo voces illae ΒΑCΙΛΕωΝ, & ΕΠΙΦΑΝΟΥC, & ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ omittuntur, Monneſis nummis, in quibus exaratae illae ſunt, ſimiles appellari non poſſe. Mox ſubdit: *Eſt quoque characterum forma in* ω *&* O *&* C. *alia in Minniſari nummis. Haec diverſa, ſed diſſimulata, nummorum ratio ambiguum me relinquit ſitne omnino ſuffragandum Corſino.*

At, doctiſſimi Viri pace, ſi quid dubiis & conjecturis ejuſmodi concedere liceret, univerſa fere nummorum ſcientia fluctuaret, mirifque ambagibus irretiretur. Etenim, ſi ii tantum nummi *ſimiles* vocari, hoc eſt ad unum, eundemque Regem, ſive ad unum idemque Regnum revocari poſſent, in quibus nulla prorſus aut vocum, aut characterum varietas haberetur, qui demum nummi inter ſe *ſimiles* cenſeri poſſent, cum in omnibus fere aliquà varietas obſervetur? Ideo Mon-

(1) Pag. 37.

Digitized by Google

Monneſis, ac Maniſari nummos ſimiles eſſe negat Froelichius, quod in Monneſis nummis voces aliae ΒΑΣΙΛΕωΝ, ΕΠΙΦΑΝΟΥC, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ legantur, & litterae ω, & O, & C, alia ratione efformentur. At, ſi varietas illa quidpiam probaret, oſtenderet etiam duos illos Monneſis nummos ad unum eundemque Regem, aut ad unam eandemque gentem referri non poſſe, cum in iis eadem ipſa characterum, & vocum varietas habeatur. Quemadmodum ergo nummus uterque ad Monneſem ipſum, aut Parthiam, aut Armeniam certiſſime referri debet, iique nummi inter ſe *ſimiles* vocari poſſunt, cur Minniſari nummus Monneſis nummis ſimilis appellari non poterit, quamvis aut aliqua vox omiſſa, aut character aliquis aliter effictus appareat? Accedit quod in Monneſis nummo apud Vaillantium [1] non ΒΑCΙΛΕωC, ut exprimit Froelichius, ſed ΒΑCΙΛΕωΣ legitur, nempe character Σ eadem prorſus forma, ac in Maniſari noſtri nummo, exhibetur; ſicuti in alio [2] legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ, in alio reperitur [3] ΒΑΣΙΛΕωΣ ΑΡΣΑΚΟΥ, atque utrobique vox ΒΑΣΙΛΕωΝ omittitur, quae in aliis etiam [4] omiſſa conſpicitur. Itaque, ſicuti varietas illa nulli prorſus dubium ingereret an nummi ſinguli ad Arſacidas, vel Parthiam referendi ſint, cum cetera mire conſpirent, ita quoque nullus ambigendi locus eſſe poterit an Monneſis, & Maniſari nummi *ſimiles* appellari poſſint, quamvis in ipſis varietas a Froelichio oppoſita deprehendatur.

Denique obſervavit Froelichius [5], quod *argumentum a modulo, & metallo nummi Minniſari eum potius ad Seleucidarum rationem, & aeram revocandum ſuadent*; alibique dicit [6], quod *barba, diadema ſimilius, characterum ordo, & ſitus, & aerae modus, vel numerus ſingula Seleucidarum nummis aeque convenire poſſunt*; quin etiam *comparatis omnibus dubitat an non ad Seleucidarum potius, quam ad Parthicorum, vel Armeniorum ſimilitudinem Adinnigai, vel Minniſari numiſma accedat*, cum

prae-

(1) *Ap. Geſner. Tab.* I. 26. (2) N. 27. (3) *Tab.* II. 1. (4) *Tab.* IV. 21. & 19. & 20. (5) *Pag* 15. (6) *Pag.* 18.

praeſertim *certi Armeniae Regis Tigranis nummi imberbem exhibeant vultum*, *caput cidari quadrata*, *& corona obtectum*.

Sed poſtremum hoc quam leve ſit omnes intelligunt. Certe Froelichius ipſe obſervavit [1] quod *neque Arſacidae omnes barbato vultu*, *aut promiſſa cum barba comparent*, ideoque, licet Minniſarus *barbatus*, Tigranes vero *imberbis* appareat, uterque tamen ad Armeniae regnum referri potuit; quemadmodum certe Froelichius Xerſem, cujus nummum vulgavit, Armeniae Regem eſſe putavit, quamvis ille *barbatus*, pileoque acuminato ornatus, Tigranes vero *imberbis*, & quadrata tiara inſignis appareat. Itaque, ſi varietas illa tanti non fuit, ne Froelichius optime Xerſem Armeniae regibus accenſeret, cur ipſum abſterruit ne Maniſarum quoque Armeniae Regibus inſeri poſſe putaret?

Vbi vero Froelichius aſſerit quod *aerae modus*, *vel numerus*, *ſingula*, quae in Minniſari nummo occurrunt, *Seleucidarum nummis aeque convenire poſſunt*, nimio fortaſſe dubitandi ſtudio abripitur, atque hypotheſim tanto viro indignam amplectitur. Quî enim aerae numerus ΤΛΓ, ſive annus 333. Minniſari nummo inſcriptus Seleucidarum nummis conveniре poſſit, cum annus ille in Seleucidarum Epocha numeratus centum fere annis Seleucidarum excidio poſterior ſit futurus? Certe Seleucidarum imperium in Antiocho Aſiatico anno V. C. 688. omnino deletum fuit; ideoque, ſi in Seleucidarum aera, quae anno V. C. 442. incepit, calculus ineatur, imperium ipſum anno Seleucidarum 246. extinctum fuit. Qua ergo ratione Minniſarus anno Seleucidarum 333. ſive V.C.775. inter Seleucidas, vel in aliqua Seleucidarum Provincia imperaſſe potuit? Ac, ne Froelichius hic quoque ſicuti in Dubio IV. Part. II. [2] *Macedonum*, ac *Seleucidarum* nomine ipſos etiam *Aegypti* Reges intelligi poſſe arbitretur, obſervare libet, quod anno V.C. 775. ne ipſum quoque Aegypti Regnum ſupererat, cum illud anno V. C. 724. Cleopatrae morte ſublatum, deletumque fuerit, atque in Cleopatrae nummo Triumviri

(1) *Pag.* 16. (2) *Pag.* 40.

umviri Antonii aetate, ideoque poſtremis Aegyptii regni temporibus cuſo, annus 280. habeatur [1]. Ergo, quamvis etiam *barba*, *diadema ſimilius*, *charecterum ordo*, *& ſitus* argumento eſſe poſſent Minniſari nummum Seleucidis convenire poſſe; ipſe tamen *aerae modus*, *vel numerus* perſpicue certoque demonſtraret quod nummus ille ad Seleucidas referri non poteſt.

Neque Seleucidis ſolum nummus ille aerae inſcriptae praeſidio abjudicari neceſſario debet, verum etiam exinde facile inferri poterat quod ipſe non aliis, quam Parthiae, vel Armeniae Regibus, adſcribi poteſt. Hoc evidens, & grave argumenti genus, quod alibi diſſimulaveram, accuratius hic perſequar, ut Froelichii dubiis occurratur. Ex numeralibus hiſce notis TAF Minniſari nummo inſcriptis certiſſime inferri debet, quod nummus ille ad aliquam ex iis Gentibus, aut Regnis ſpectavit, in quo aera quaedam inſtituta fuerat, ac regnum ipſum 333. ſaltem annis ita floruit, ut 333. anno in ea numerato Maniſarus imperaſſe potuerit. Itaque, cum aerae Regum nummis inſcriptae, quae hactenus Eruditorum oculis affulſere, omnes fere vel ad Pontum, vel ad Thraciam, vel ad Bithyniam, vel ad Cappadociam, vel ad Parthiam, ſive Armeniam ſpectent, perſpicue apparet Minniſarum ipſum ad aliquam ex Gentibus illis referendum eſſe. Verum is ad Pontum referri certe non poterit. Siquidem Ponticae aerae initium ducitur ab anno V.C.448.,tandemque deſinit in anno V.C.691. ſive Ponticae aerae 243.,quo Mithridates regnum, ac vitam amiſit. Boſphori quidem, & Thraciae aera anno V.C. 330. incepit, atque annus 620. in illa numeratus in Rheſcyporidis III. nummo occurrit.Sed anno V. C. 663. in quem 333. aerae annus incideret, nullus in Boſphoro regnabat, ſed ejus Gentis imperium apud Mithridatem Ponti Regem erat. Bithyniae regnum annis ſolum 206. perſtitit, quamvis Froelichius Syncello inhaerens 213. annos enumeret. At Froelichius ipſe in ſtabiliendo quoque aerae Bi-

(1) *Muſ. Theup. pag.* 1208.

Bithynicae cardine perſpicue fallitur, quamvis eximii nummi ope ſe fretum exiſtimet, in quo C. Papirii Carbonis nomen, & aera 224. conſpicitur. Ejuſmodi vero Froelichii error exinde manavit, quod ipſe Carbonem Bithyniae praefuiſſe putat anno V. C. 688, & 690., idque luculento Dionis loco perſpicuum eſſe arbitratur, qui res anno V. C. 688. geſtas memorans Cottam a Carbone, moxque Carbonem ipſum, dum Bithyniae Proconſul foret, a Cottae filio accuſatum eſſe dicit. Itaque, concludit Froelichius, ſi ex 690., quo anno Papirius Carbo Bithyniae praefuit, ac nummum ſignavit, anni 224. ſubducantur, relinquetur annus V.C. 466., quo Bithynica aera inceperit. At Dionis locus a Froelichio prolatus id unum oſtendit quod, ſicuti anno 688. Cotta a Carbone accuſatus fuit, ita deinde Carbo, cum Bithyniam regeret, a Cottae filio accuſatus fuit, non vero quod id eodem ipſo anno 688. contigerit, cujus hiſtoriam narrabat; ideoque prorſus immerito ex Dionis loco deduxit Froelichius quod Papirius Carbo anno V. C. 690. Bithyniae praefuerit, ac nummum illum aera 224. inſignem ediderit. Ceterum Bithynicae aerae cardinem ab anno V. C. 673. divelli non poſſe ex duobus nummis invicem collatis manifeſtiſſime apparet. Siquidem in ipſorum altero, hoc eſt Nicomedis, nummo apud Theupolum [1] habetur annus 207., qui anno V. C. 680. poſterior eſſe non poteſt, quo Nicomedes obierat, adeoque aerae cardo anno 473. poſterior eſſe non poterit; in altero apud Liebeum Vibii Panſae Proconſulis habetur annus 235., qui anno V. C. 708. antiquior eſſe non poteſt, cum anno 707. Bithynia nondum a Romanis occupata fuerit, ideoque Bithynicae aerae cardo anno V. C. 472. antiquior eſſe non poterit. Itaque ex his extremis perſpicue certoque conſtitutis contra Froelichium inferri debet quod Bithynica aera anno V.C. non 466., ſed 473. incepit, ideoque Bithynia regnum 206. annis floruit, atque in Syncelli textu non ΣΙΓ, ſed Σϛ legi debet. Ergo, ſi Minniſari nummus, vel annus 333. Gentibus aliis

(1) Pag. 1198.

aliis adſcribi non poteſt, id unum ſupererit ut nummus ille non alteri veriſimilius, quam Parthiae, vel Armeniae Regi adſcribatur; ideoque annus in aera Parthica numeratus erit. Itaque tantum abeſt ut ex *aerae modo* Minniſari nummus Seleucidis, aut alterius Provinciae Regibus adſcribi poſſit, ut exinde potius nitide, certoque inferatur ipſum non alteri Provinciae, vel Regno, quam Parthiae vel Armeniae, convenire.

Atque iſta quidem dicta, vel obſervata a me ſint, ut dubiis omnibus a Cl. Froelichio in prima doctiſſimae Diſſertationis parte propoſitis occurratur, & aequiſſimo ipſius, ac Eruditorum deſiderio, quantum ſperari a me poterat, ſatisfiat. Vt autem accuratius adhuc ea diluantur, unicaque fere reſponſione dubiis ſingulis occurratur, obſervari plurimum velim quod ubi de obſcurioribus nummis agitur, atque iis praeſertim, qui prorſus antea incogniti primum in lucem proferuntur, neque nimia in explicandis illis libertas, neque viciſſim nimia in refellenda excutiendaque ipſorum explicatione ſeveritas adhiberi debet. Vt enim optime obſervavit Seguinus,[1] *de veteribus nummis diſſertatio ſaepius conjectura niti cogitur, & plurima tractare, quae in utramque partem agitari ancipiti probabilitate poſſunt; plurima, quae hominum ingenia exerceant, eaque honeſtiſſimis excitent contentionibus, nec irritent, dummodo ſolius veritatis indagandae cauſſa, vel honeſtae occupationis, & animi levandi gratia in medium adducantur; non livore, & animo detrahendi famae ſummorum virorum, qui ſuperioribus temporibus Antiquitati ſtuduerunt, & primi in hoc aperiendo campo operam ſuam utiliter impenderunt.*

Certe cum primum de Minniſari nummo hactenus incognito publicam in lucem proferendo cogitavi, ejuſque explicationem partim ex Dionis narratione, partim ex Arſacidarum hiſtoria exſculpendam putavi, conjecturas omnes, & argumenta propoſui, quibus explicatio illa ſuaderi poſſe videbatur. Quod ſi alicubi liberius, majorique fere fiducia aliqua veluti perſpicua, & certiora defendi, libero tamen Eruditorum judicio reliqui rationum vim expendere, quibus ea

C nite-

(1) *De num. Pompej.*

nitebantur ; tantumque abeſt ut iniquo animo feram , ſi quis oppoſitam partem amplectatur , ut plurimum potius debere me intelligam doctiſſimo Froelichio , qui pleraque a me propoſita in dubium revocavit , pares etiam gratias ceteris habiturus , qui vel eadem , vel alia dubia propoſuerint . Optaverim tamen ut viciſſim in dubiis ejuſmodi proferendis aequitas , ac debita moderatio uſurpetur , cum ipſa quoque dubitandi ratio ſuis finibus circumſcripta ſit , ſuiſque legibus temperata eſſe debeat . Ac primo quidem cavendum exiſtimo ne dubia ea ſint , quae contra nummos etiam alios communi Eruditorum ſententia jam receptos , & explicatos opponi poſſint . Pleraque certe ex iis dubiis , quae Froelichius adverſum Minniſari nummum propoſuit , contra nummos alios ab Antiquariis , & ab eodem ipſo Froelichio explicatos pari jure proponi poſſent , ut ſuperius obſervavi; ideoque , ſi Froelichio ipſo judice dubia illa nullam adverſum nummos alios vim forent habitura , nihil eſt certe cur refellendo Minniſari nummo ea proponantur . Illud etiam ab Eruditis plerumque requiri ſolet ut, cum explicationem aliquam hactenus propoſitam refellunt , explicationem aliam proponant , quam accuratiorem , ac veriſimiliorem putaverint . Itaque a doctiſſimo Froelichio optandum erat ut , ſi ex litteris nummo inſcriptis , ex nummi forma , ex hiſtoricis , ex epocha , ex indiciis , & characteribus aliis hunc nummum ad Maniſarum Dioni memoratum , & Armeniae Regulum referri non poſſe putavit , indiciis ſaltem aliis oſtenderet ad quem alium , ſive quam Gentem revocari ille poſſet . Quod ſi ille non praeſtitit , ſed interdum ſubdubitans ſolum de vero Regis nomine , de Seleucidarum aera aliquid conjecit , facile patietur ut , donec melior explicatio , vel conjectura affulſerit , de Minniſaro Armeniae Regulo cogitemus. Ego ſane , cum nummum *Arſamis* Regis nomine , ut ferebatur , inſignem Froelichius vulgaſſet , eumque ad Arſamem Darii Codomanni patrem referendum eſſe dixiſſet , non modo perſpicuis , certiſque rationibus demonſtravi quod nummus ille ad Arſamem hunc referri non poterat ; verum etiam Arſamem alium inveni , cui num-

nummus ille longe veriſimilius adſcribi poſſet. Ubi vero ex epiſtolis a D. Cary ad cl. Venutum datis accepi quod in ipſo legendo Froelichius deceptus erat, atque in illo non *Arſamis*, ſed *Sami* nomen exaratum erat, moxque conſpexi, quod Froelichius ipſe feliciter obſervavit, hunc nummum ad Samum Polybio memoratum revocari poſſe, cum nihil mihi felicius, ac veriſimilius occurreret, in optima Cl. Viri conjectura libens acquievi juxta celebre effatum illud

. . . . Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

PARS SECVNDA

DVBIVM I.

POſt explicatum Minniſari regis nummum de nova Arſacidarum Epocha a me conſtituta loquuturus ſemel iterumque dixi quod *a Vaillantio , ceteriſque Chronologis omnibus aerae Parthicae initium ab anno* V. C.498. *ſive* 504. *ducebatur* ; quod Vaillantius ipſe *ceteros Eruditos omnes in hanc ſententiam abripuit* ; & quod *haec Arſacidarum Epocha Vſſerio , Petavio , Noriſio , Spanhemio, Vaillantio , Froelichio probata fuit* .

Froelichius tamen hic dubitat [1] *utrum omnes Chronologi , & Froelichius Vaillantii aeram Parthicam adoptent , & Eruditi omnes citra exceptionem Vaillantio aſſentiantur* . Ac de ſe quidem teſtatur quod alicubi Parthiae Regum nummos exponens ait [2]: *Si calculum Vaillantii ſequamur , qui initium aerae primae Parthicae conſtituit anno ante aeram Chriſtianam* 256. , nimirum V.C. 498., ideoque contendit ſe nunquam Vaillantii calculum adoptaſſe , ſed in ea ſolum Vaillantii hypotheſi loquutum eſſe.

Nolim de re fortaſſe leviuſcula diſceptare , multoque libentius concedam Scriptores aliquos a Vaillantii calculo diſſidere ; ideoque cum dixi Vaillantium in ſententiam ſuam *omnes* abripuiſſe , Parthicamque aeram ab illo conſtitutam *omnibus* probari , non alia ratione intelligi id velim , quam ut communes ejuſmodi loquendi formulae a Scriptoribus uſurpari plerumque ſolent ; ut nimirum exceptio quaedam admitti poſſit . Viciſſim tamen ab optimo , doctoque Froelichio optaverim , ne mihi fruſtra Scriptores illos velut a Vaillantio diſſidentes objiciat , quos ipſe quoque a Vaillantii ſententia diſſidentes eſſe jam videram . Dixeram quod *Vaillantius Eruditos omnes in hanc ſententiam abripuit*, quae Parthici Regni initium in anno V. C. 498. ſive 504. collocavit ; ideoque perſpicue de iis ſolum Eruditis agebam , qui poſt editam Vaillantii hiſtoriam ſcripſere . Itaque prorſus immerito , ac fruſtra

(1) *Pag.* 20. (2) *Pag.* 21.

fruſtra Froelichius mihi nunc Valeſium, Salianum, Calviſium, alioſque opponit; etenim ipſorum quilibet ante ann. 1725., quo primum Arſacidarum hiſtoria a Vaillantio contexta in lucem prodiit, opus ſuum ediderat, ideoque a Vaillantio in ſententiam ſuam abripi non poterat. Ergo Froelichius, ut aſſertum meum refelleret, eos ſolum Scriptores indicare debebat, qui poſt editos Vaillantii libros Arſacidarum epocham illuſtrarunt, ſimulque oſtendere quod illi in Vaillantii ſententiam abrepti non fuere. Ad Froelichium vero quod attinet, quamvis ille in hoc ipſo aureolo libello a Vaillantii ſententia diſſideat; aliquando tamen tacite in ipſam inclinat, ſive ipſam, ne ſibi inconſtans eſſe velit, admittere neceſſario debet. Quum enim Arſacidarum nummum epocha 480. inſignem ab Artabano IV. Parthiae Rege cuſum cenſere debeat, qui anno V.C. *979*. Regnum, vitamque amiſit, quamvis etiam hic nummus ab Artabano poſtremo vitae, ac imperii ſui anno cuſus dicatur, epocha tamen, vel annorum numerus ipſi inſcriptus aliter intelligi, vel explicari certe non poteſt, quam ſi aerae initium in anno V.C. 498. cum Vaillantio collocetur, ut opportunius Parte III. Dubio 1. oſtendetur. Ita quoque, cum nummum Vologeſis nomine, atque aera *464*. inſignem Vologeſi III. adſcribere debeat, qui circa annum V. C. *966*. interiit, nummus ille explicari non poterit, niſi aerae cardo anno V. C. 505. antiquior cenſeatur, ideoque Froelichius in Vaillantii ſententiam concedat, qui Parthicae aerae initium in anno V.C. 504 vel 498. collocavit. Ergo Froelichius ipſe in his nummis explicandis Vaillantii ſententiam cum Scriptoribus aliis admiſit, vel admittere neceſſario debet.

DVBIVM II.

PRoximo deinde loco Froelichius [1] dubitat, *an non probabilius ſit ſub Antiocho II. quam ſub Seleuco II. Aeram, aut Regnum Parthicum coepiſſe*; moxque prolatis Euſebii, Olympioni-

(1) *Pag.* 24.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

pionicarum Catalogi, Moyſis, Mircondi, ac Juſtini teſtimoniis Parthicum Regnum, atque Aeram probabilius ſub Antiocho II. quam ſub Seleuco II. coepiſſe contendit.

Antequam dubium hoc dirimam, accuratiſſime obſervari velim quod duo hic a Froelichio conjunguntur, quae tamen a me diſtincta fuere, atque inter ſe diſtingui debent. Etenim uno eodemque contextu a Froelichio inquiritur an *Parthicum Regnum*, atque *Aera Parthica* ſub Antiocho II., vel Seleuco II. inceperit: perinde quaſi *Aera* ſimul cum *Regno* inſtitui, vel incepiſſe debuerit; ideoque dubia, quae circa Regni initium ex Scriptoribus afferri poſſint, etiam adverſus Aerae initium urgere debeant: quum tamen Aerae initium initio Regni poſterius eſſe poſſit, ut celeberrima Seleucidarum epocha, & exemplis aliis oſtendi poteſt.

Ego ſane Arſacidarum epocham nummis inſcriptam circa annum ab V. C. 525. incepiſſe dixi; Parthicum tamen Regnum, primamque ab *Antiochis*, vel *Macedonibus* defectionem longe antiquiorem eſſe conceſſi. Plurima quidem ex variis Hiſtoricis ſubinde expoſui, ut Parthici Regni initium longe recentius oſtenderem, quam ut a Vaillantio, ceteriſque ſupponitur, ut exinde quoque aerae initium a Vaillantio conſtitutum refellerem; praecipuum tamen controverſiae caput, quod explicando Minniſari nummo definiendum ſuſcepi, non *regni*, ſed *aerae* initium reſpicit; ideoque dubia circa regni initium a Froelichio propoſita diſſimulare nunc poſſem, atque illa ſolum dirimere, quae adverſus aerae initium a me conſtitutum proferentur. Ac certe Froelichius ipſe [1] *tametſi in eam potius ſententiam inclinet, quae circa Antiochi* Θεῦ *finem, & Seleuci II. initium aeram Parthicam ex diſerto Euſebii temporis charactere conſtituit ad annum Olymp.* CXXXIII. *primum, qui cum anni V.C. 506. & ſequentis parte congruit, quo Antiochus II. deceſſit*; tres tamen aeras Parthicas memoravit, *nihilque definire voluit quaenam ex his aera ſit, unde ducendi ſint anni Regum Arſacidarum nummis inſcripti*; ideoque Froelichius ipſe hoc loco perſpicue ſubindicat, apud Parthos, ſive Arſacidas aliud

(1) *Pag.* 32.

aliud *imperii*, aliud *aerae* initium eſſe potuiſſe. Quandoquidem tamen utrumque initium expoſui, & adverſus utrumque dubia proponuntur, utrique dubiorum generi ſatisfaciam; expoſita prius Syriae Regum ſerie, ut ex illa major perſpicuitas oriatur.

REGES SYRIAE

Selevcvs *Nicator*	coepit	442.
Antiochvs *Soter*	anno	474.
Antiochvs *Deus*	V.C.	492.
Selevcvs, vel Antiochvs *Callinicus*		507.
Selevcvs *Ceraunus*		527.
Antiochvs *Magnus*		530.
Antiochvs *Epiphanes*		566.

Itaque, quod ad Parthici Regni initium attinet, probabilius adhuc exiſtimo illud ſub Seleuco II. potius, quam ſub Antiocho II. contigiſſe; nihilque prorſus ex dubiis a Froelichio propoſitis opinionis hujus veritati detractum eſſe confido.

Illud hic ſibi facile concedi putat Froelichius [1] quod ubi *inter Scriptores controverſum eſt, quo tempore, quoque anno res aliqua acciderit, ab illis Auctoribus potius eſt ſtandum, qui perſpicuos, certoſque temporis, annive ipſius characteres prodidere, quam ab aliis, etſi vetuſtioribus, qui aliud agentes narrationem aliquam, quae dubio non careat, protulere, de cujus tempore certo nihil adjiciatur.*

Lex iſta facile recipi, & concedi poterit, ſi vetuſtiores illi Scriptores, ut Froelichii verbis utar, aliud agentes *narrationem aliquam, quae dubio non careat, protulere, de cujus tempore certo nihil adjiciatur*. At ubi de Parthici Regni initio diſſeratur, Syncellus, Agathias, Euſebius, Strabo, Appianus, Dio, ceterique, quos ſententiae meae vades exhibeo, non aliud agentes, ſed conſulto, de ipſo prodidere, deque ipſius tempore certum aliquid adjecere, perſpicuos nempe characteres, quibus initium illud ad Seleuci II. tempora referatur, ut

(1) *Pag.* 24.

ut mox demonſtrabitur. Viciſſim vero Auctores, qui perſpicuos, certoſque anni ipſius characteres prodidiſſe dicuntur, ſibi non conſtant, characteres invicem contrarios exponunt, ac varium omnino tempus, atque annum indicant, ut accurate de ſingulis oſtendetur.

Ab Euſebio Chronologiae patre orditur Froelichius [1], qui Parthicam defectionem in anno primo Olymp. CXXXIII., hoc eſt ab V. C. $\frac{506}{507}$ collocavit. At Euſebius Arriano, Appiano, Straboni, Dioni, ceteriſque antiquioribus, melioriſque notae Scriptoribus praeferri certe non poterit, qui licet Euſebii inſtar annum, atque Olympiadem non expreſſerint, eos tamen temporis characteres indicarunt, quibus defectio illa anno V. C. 507. poſterior demonſtratur, ut inferius obſervabitur. Accedit etiam quod Euſebius Juſtino ipſi contrarius foret; ideoque, ſi Froelichius hic Euſebium ſequatur, fruſtra omnino Juſtini locum mox defenderet, in quo defectio ad annum V.C. 498., ſive, ſi libeat, 504. revocatur. Denique intelligendo, riteque explicando Euſebii loco mire conferre poterit quod ille primam quidem Parthorum defectionem anno primo Olymp. 133. contigiſſe, atque Arſacem omnium primum apud illos regnaſſe dicit, nullibi vero diſerte docet quod Arſacidae quoque ſimul cum Parthis illis defecerint, aut quod Arſacis regnum eodem prorſus tempore, quo prima Parthorum defectio, inceperit. Itaque, cum perſpicuis Juſtini, Strabonis, Philoſtrati teſtimoniis conſtet prius Parthos, mox Arſacidas defeciſſe, ut inferius oſtendetur, ex Euſebii loco nihil omnino pro Arſacidarum defectionis tempore exſculpi poteſt, niſi temere ſupponatur Arſacidas ipſos ex Parthis omnibus primos defeciſſe, ipſorumque regnum in prima Parthorum defectione incepiſſe, quod ab ipſius Euſebii in I. Chronico, a Juſtini, Strabonis, Philoſtrati, aliorumque Scriptorum teſtimoniis abhorret.

Euſebio Scriptorem alium ſubnectit Froelichius [2], qui *Olympionicarum Catalogum edidit*, atque Opus illud *vetuſtam Hiſtoriarum Collectionem*, ejuſque Auctorem ſemel, iterum-

que

(1) *Pag.* 25. (2) *Ibidem.*

Digitized by Google

que *Scriptorem veterem* appellat Froelichius. Nollem doctiſſimo viro gravem hunc errorem excidiſſe, ejuſque Collectionis Auctorem veluti vetuſtum, atque ab Euſebio diſtinctum exhiberi. Siquidem Eruditis omnibus eſt exploratum, atque ipſe quoque in Faſtis Atticis ſaepius indicavi, quod *Collectio* illa a Scaligero partim ex Euſebii, & Syncelli, partim ex Hiſtoricorum aliorum laciniis conſuta fuit; adeoque neque vetuſta cenſeri illa poteſt, neque novam, clarioremque lucem afferre, quam quae ex Euſebio, cujus hic verba prorſus exſcribit Scaliger, habeatur. Quemadmodum ergo Froelichius [1] laudato Euſebii loco Syncellum Euſebii exſcriptorem valere jubet, ita quoque poſt Euſebium valeat hic larvatus Scaliger; cum praeſertim Scaliger ipſe, emendato Suidae, vel Agathiae loco, ſatis oſtenderit ſe Parthici Regni initium in anno 293. aerae Perſicae, hoc eſt circa annum ab V.C. 509. ſive 514. collocaſſe, ut in Diſſertatione demonſtravi.

Tertio loco Froelichius [3] Moſem Chorenenſem exhibet, qui Armena lingua Armeniae hiſtoriam V. Chriſti ſeculo ſcripſit, Parthicique Regni initium 60. Seleucidarum anno contigiſſe dicit, hoc eſt, ut exponit Froelichius, V. C. 501.

Ita Mircondi locus, qui Perſicam hiſtoriam XV. Chriſti ſeculo ſcripſit, ut ab Uſſerio apud Froelichium [4] profertur, exprimit Arſacem 72. *annis poſt mortem Alexandri regnare coepiſſe*, quod in annum V. C. 503. incideret.

Quantum exoticis his Auctoribus tribuendum ſit, alii viderint. Id unum obſervo Chronicos Mircondi Canones ab optimorum Scriptorum calculo mire aberrare. Etenim Scriptor ille Arſaci 10., Tiridati 20. imperii annos adſcribit; cum tamen Syncellus longe gravior, antiquior, & accuratior illi 2. ſolum, huic 37. concedat. A Parthici Regni initio ad finem 282. annos fluxiſſe dicit Mircondus; cum tamen 470. numerandi illi ſint. Itaque, ſi Scriptor ille in ſingulis capitibus aliis turpiter adeo aberravit, quo in pretio ipſius auctoritas in definiendo imperii exordio eſſe poterit? Quaecumque vero de Mircondi Canone obſervavi, de alio quoque Parthico-

D

(1) *Pag.* 60. (3) *Pag.* 35. (3) *Pag.* 25. (4) *Pag.* 26.

Digitized by Google

thicorum Regum Canone dici debent, quem Voſſius in ſuis ad Juſtinum notis exhibuit, in quo univerſum Parthici imperii tempus 253. annorum ſpatio concluditur, atque Artabano ipſorum poſtremo 31. regni anni conceduntur; cum fortaſſe vix 10. ille impleverit, ut inferius indicabitur.

Supereſt poſtremo loco Juſtinus, ex cujus ſententia Parthicum regnum ſub Antiocho II. incepiſſe contendit Froelichius [1]. Quum enim dicat Juſtinus Parthos a Macedonibus primum defeciſſe *primo bello Punico L. Manlio Vulſone, & M. Attilio Regulo Coſſ.*, moxque ſubdat illos *a Seleuco Seleuci I. pronepote* defeciſſe, haec quidem ſimul componi non poſſe concedit Froelichius, ſed tamen Criticorum more potius in *Seleuci* voce, quam in Coſſ. nominibus erratum eſſe putat, quippe qui *Conſulum* quidem nomina a Trogo expreſſa, *Seleuci* vero nomen non a Trogo expreſſum, ſed ab Juſtino temere adjectum opinatur [2].

Ego vero Criticorum more in illo potius erratum exiſtimo, quod a ceteris Scriptoribus omnibus abhorret, cujuſmodi certe ſunt Coſſ. nomina, aut annus V. C. 498., a quo Euſebius, Scaliger, Moſes, Mircondus, hoc eſt Scriptores omnes ab ipſo quoque Froelichio relati, diſſident; non vero in Seleuci nomine, qui optime a Juſtino Seleuci I. *pronepos* fuiſſe dicitur, quae omnia ſecum conſpirant, mireque cum Strabonis, Arriani, Appiani, Syncelli, Dionis, Agathiae, aliorumque hiſtoria conſentiunt. Ac certe quidem Juſtinus, ubi de Parthici imperii initio loquitur, quinque temporis characteres exprimit. Aſſerit enim Parthos *L. Manlio Vulſone, M. Attilio Regulo Conſulibus* defeciſſe. Parthos ab Antiocho Sotere, & *ſucceſſoribus ejus*, ideoque ab Antiocho Deo, & Seleuco Callinico, poſſeſſos eſſe, proindeque Seleuci temporibus defeciſſe dicit. Teſtatur illos *a Seleuco Nicatoris Seleuci pronepote*, hoc eſt a Callinico rebellaſſe. Subdit *duorum fratrum regum Seleuci*, certe Callinici, *& Antiochi* diſcordiam defectoribus impunitatem dediſſe. Denique teſtatur quod Arſaces *Andragoram* Parthorum *Praefectum oppreſſit*, *ſublatoque eo im-*

(1) *Pag.* 27. (2) *Pag.* 30.

eo imperium Gentis invaſit accepta opinione Seleucum a Gallis in Aſia victum. Itaque, cum in Juſtini narratione una ex parte unicus temporis character, hoc eſt Conſulum nomina habeantur, ex altera vero parte quatuor characteres alii exprimantur, atque unicus ille character a ſolo Juſtino expreſſus Juſtino ipſi, ceteriſque Scriptoribus adverſetur, ceteri vero characteres a Juſtino adjecti ab aliis etiam Scriptoribus confirmentur, quis aperte non videat quod ex Criticorum legibus in uno potius, quam in ceteris characteribus error agnoſci debet; atque ea potius hiſtoriae pars veluti certa in Juſtino admittenda eſt, quae ſibi conſtans ſit, ceteriſque conſpiret, non vero ea, in qua Juſtinus & a ſe ipſo, & a ceteris abhorreat? Itaque, ſi Juſtini auctoritas rite uſurpetur, Parthici Regni initium non ad Antiochi II. ſed ad Seleuci II. Seleuci I. *pronepotis* tempora ex Juſtino ipſo referendum erit. Hinc optime, accurateque Calviſius cum Arſacis defectionem Juſtino inhaerens in anno V. C. 504. collocaſſet, quo *Regulus*, & *Vulſo* ſecundo Conſules fuere, ceteros temporis characteres a Juſtino expreſſos obſervans aſſerit quod *differendum videtur initium Arſacis ad decennium fere, aut multa ſunt in Juſtino emendanda*; quod nimirum plura a Juſtino expoſita evincunt Arſacis defectionem circa annum V. C. 514. contigiſſe, quae in Juſtini textu temere delenda forent, niſi potius Conſulum nomina perperam a Juſtino adjecta facilius expungantur.

Age vero, liberius concedatur quod nullus in Conſulum nominibus error reperiatur, quod Coſſ. nomina ab ipſo quoque Trogo expreſſa ſint, quod *Parthi primum L. Manlio, & M. Attilio Coſſ.*, hoc eſt anno V. C. 498. defecerint; qui tamen fieri vel inferri inde poterit Arſacidas etiam iiſdem prorſus Coſſ. defeciſſe, & Arſacidarum imperium, de quorum ſolum initio diſquirimus, tunc temporis incepiſſe? Certe Juſtinus ita Parthorum, Theodoti, Orientis Populorum, & Arſacis defectiones deſcribit, ut illas non uno eodemque tempore, ſed ordine quodam contigiſſe demonſtret. Aſſerit enim quod Parthi primum defecere, poſtea memorat Theodoti re-

bellionem, tum aſſerit ipſius exemplo univerſos Orientis populos a Macedonibus defeciſſe, tandemque ſubdit eodem tempore Arſacem Parthiam ingreſſum gentis imperium arripuiſſe. Ita Strabo, qui ſingula ad Parthicam defectionem ſpectantia ex Apollodoro Atramytteno deſumpſerat, teſtatur prius Bactrianos Diodoto duce, mox Euthydemum, deinde Arſacem defeciſſe; quemadmodum Polybius graviſſimus auctor, & Parthicae defectioni fere coaevus aſſerit Euthydemum provincias non a Syriae regum imperio ſubtraxiſſe, ſed prius a rebellibus occupatas invaſiſſe; quod etiam facile de Arſace quoque intelligi poteſt. Itaque, licet ex Juſtini mente Vaillantio, Vſſerio, Froelichio concedatur Parthos primum anno V.C. 498. defeciſſe, exinde tamen inferri certe non poterit quod Arſaces etiam eodem anno defecerit; quin etiam veriſimilius inferri debet Arſacidarum defectionem aliquanto ſerius contigiſſe. Haec ipſa defectionum varietas, atque diſtinctum ipſarum tempus ex pulcherrimo Philoſtrati loco deduci poteſt, ex quo perſpicue, certoque demonſtratur primam quidem Parthorum defectionem ſub Antiocho II. contigiſſe, Arſacidas tamen ſub Seleuco II. Callinico defeciſſe. In Apollonii Vita narrat Philoſtratus [1] quod cum Apollonius in Bardanis Parthiae regis aula circa annum V.C. 800, ſive 776. degeret, quidam Syriae Praeſes oratores ad Bardanem miſit, qui duos pagos prope urbem Zeugma poſitos, & a Parthis tunc occupatos repeterent, *diceretque illos Antiocho, & Seleuco olim paruiſſe, nunc ipſi eſſe obnoxios, cum Romanis tamen debeantur*. Quum vero Bardanes oratores audiviſſet, iis ſecedere juſſis, Apollonium alloquens ait: *hos pagos, Apolloni, Reges, quos nominarunt, majoribus meis conceſſere pro feris educandis, quae a nobis captae trans Euphratem ad eos mittuntur. Iſti vero tanquam horum obliti res novas & plane iniquas moliuntur*. Vaillantius hic optime, accurateque obſervavit quod ibi de Antiocho *Deo*, ejuſque filio Seleuco *Callinico* agi debeat; qui certe in Parthia univerſa, ideoque etiam in vicis illis imperarunt, quod mire cum Juſtini, Strabonis, ac Polybii hiſtoria

(1) *Lib. 1. cap. 38.*

ſtoria conſpirat. Itaque, cum Bardanes aſſerat quod Antiochus, & Seleucus etiam Callinicus eos pagos Majoribus ſuis, Arſaci nempe ac Tiridati, qui Antiochi, & Seleuci aetate vixerunt, conceſſere, quis non intelligat quod Arſacis defectio ante Seleuci regis initium contigiſſe certe non potuit, alioquin Callinicus hos pagos Arſacidis non amicis, ſed jam rebellibus, conceſſiſſet? Ita, ſi Callinici aetate ferae ab Arſacibus captae, ac nutritae ab ipſis ad Syriae regem mittebantur, quis non intelligat Arſacidas iis temporibus Seleuco amicos, & ſubditos, non rebelles ac infenſos fuiſſe? Itaque prima Arſacidarum defectio poſt initum a Callinico regnum certiſſime contigit, cum Arſacidae fratres defectionis auctores in aliqua regione imperio, vel auctoritate quadam, quibuſdam pagis, ac regionibus ſibi a Syriae regibus conceſſis, potirentur; quemadmodum ſane ex Arriano Syncellus ait quod *Arſaces, ac Tiridates fratres Satraparum munus in Bactros exercebant*; ac Strabo perſpicue teſtatur quod *Arſaces Dais quibuſdam cognomento Parnis Nomadibus imperabat*. Itaque, ut uno omnia verbo complectar, ne ex Juſtino quidem, ſive ſincerus, & accuratus, ſive vitiatus ejus locus cenſeatur, praeſidium ullum eſſe poteſt, ut *Arſacidarum* defectio in anno V. C. 498. *Vulſone*, & *Regulo* Coſſ. collocetur.

DVBIVM III.

VT Arrianum, vel, qui Arriani textum excerpſerat, Photium Vaillantio potius, quam Corſino favere oſtendat Froelichius [1], integrum Arriani locum *ex graeco fere ad verbum tranſtulit fidem prae elegantia ſpectans*; cumque Arrianus aſſerat quod Arſaces, ac Tiridates *Phereclem ſub Antiocho Rege ſuſtulere . . . atque gentem a Macedonibus abducentes ipſimet ibidem regnavere*; Froelichius infert quod ex Photii, vel Arriani ſententia Parthici Regni initia *ſub Antiocho II.* contigere.

Atque optime id quidem, ſi in Photii, vel Arriani textu perſpicue, certoque diceretur, ut contendit Froelichius, quod

(1) *Pag.* 30. & 31.

quod Fratres illi Phereclem *ſub Antiocho* ſuſtulere. Sed Graeca Photii verba *τὸν ὑπὸ τοῦ Ἀντιόχου σατραπείαν αὐτῆς τῆς χώρας καταστάντα Φερεκλέα .... ἀνεῖλον*, ubi fere ad verbum accuratius transferantur, id unum ſignificant quod Pherecles ille, qui *ab Antiocho* Rege Perſidis Satrapa conſtitutus erat, a fratribus occiſus fuit; non vero quod *ſub Antiocho*, vel eodem ipſo Antiocho regnante ac ſuperſtite ſublatus ſit. Itaque ex Arriano, vel Photio neceſſario inferri non debet quod Parthici Regni initia ſub Antiocho II. vel *Deo* contigerint. Certe, ſi Arrianus, aut Photius nitide diſtincteque dixiſſet Phereclem *ſub Antiocho* ſublatum eſſe, ut immerito Froelichius exiſtimavit, tunc Photii auctoritas Euſebio, ac Syncello praeferenda foret, cum Euſebius in Chronico Priore id ſub Seleuco II. Antiochi ſucceſſore factum ſcripſerit; ſed, cum Photii verba ambigua ſint, Parthicique Regni initia ad Antiochi II. tempora certo non referant, clarioribus Euſebii, ac Syncelli verbis exponi illa debent, qui id Seleuci II. temporibus factum teſtantur; cum uterque ex his Scriptoribus aut integrum Arriani locum viderit, aut certe ambiguum Photii locum clarius expreſſerit.

At reponit Froelichius [1] quod *Euſebii, Syncellique ambigua haec opinio eſt, num re ipſa ſub Seleuco id contigiſſet, cum in ipſa epigraphe, ſeu titulo narrationis haeſitationem ambo ſuam prodant, dum Antiochum Callinicum cognominatum, qui & Seleucus dictus ſit, contra probos auctores, multoque antiquiores appellant Seleucum II. Antiochi II. filium; quem tamen Seleucum Callinicum, vel Seleucum tantum Polybius*, ceterique Scriptores omnes appellant. Itaque concludit Froelichius quod Euſebius quidem, ac Syncellus in Arriano legerant Parthici regni exordium *ſub Antiocho* contigiſſe; at, cum ipſis alibi de *Seleuco* quidpiam occurriſſet, hac mira ratione Scriptores conciliare ſe poſſe putarunt, ſi unus idemque Rex & *Antiochus*, & *Seleucus* diceretur. Quum tamen, ſubdit Froelichius, Photius diſerte *Antiochum* nominet, probabilius eſt Euſebii quoque ac Syncelli narrationem de eodem ipſo *Antiocho* intelligen-

(1) *Pag.* 32.

gendam eſſe, licet titulus narrationi praefixus *Seleucum* memoret: cum praeſertim Euſebius, dubiae locutionis ſuae optimus interpres, in Chronico Poſteriore Parthicam defectionem anno 14. Antiochi II. adſcripſerit.

Sed, quamvis hoc dubium ſubtiliter, ac ingenioſe propoſitum ſit, facile tamen dirimi profecto poterit, certoque oſtendi quod Euſebii, ac Syncelli hiſtoria ad Antiochum II. referri non poteſt, ſed perſpicue certoque ad Seleucum II. ſeu Callinicum ſpectavit. Etenim in Syncello, ac Euſebio perſpicue diſerteque Rex ille, ſub quo Arſaces Agathoclem interfecit, *Antiochus, quartus Syriae Rex, Antiochi Dei filius*, de quo Scriptores illi jam dixerant, cognomento *Callinicus* vocatur, ipſique 21. imperii anni adſcribuntur. At quatuor indicia, vel characteres illi non Antiocho II. vel *Deo*, ſed unice Seleuco II. *Callinico* ipſius filio conveniunt, ergo nulla in Scriptoribus illis haeſitatio fingi poteſt num haec hiſtoria ab iis narrata ſub Antiocho II., vel Seleuco II. ipſius filio, ac ſucceſſore contigerit; ſed nihil certius eſſe poteſt, quam quod uterque ex Scriptoribus illis Parthicam defectionem ſub Seleuco II. vel Callinico, quarto Syriae Rege, Antiochi Dei filio, contigiſſe putavit.

Quod vero uterque tum in titulo, tum etiam in narrationis exordio regem illum *Antiochum* vocaverit, non inde oritur, ut prorſus immerito arbitratur Froelichius, quod Scriptores illi in Arriano quidem *Antiochi Dei*, in aliis vero *Seleuci Callinici* nomen invenerint, ſolaque nominis mixtione diſſidentes Scriptorum ſententias componere tentaverint; ſed exinde ſolum manavit quod Euſebius, ac Syncellus omnes Syriae Reges, veluti communi quodam nomine, *Antiochos* appellatos eſſe, vel appellari poſſe putarunt, quemadmodum Aegypti Regibus *Ptolemaei*, Oſrhoenes *Abgari*, Parthiae *Arſacis* nomen commune fuit. Veram, & perſpicuam hanc Euſebii, & Syncelli mentem, quam ignoravit Froelichius, perſpicue ac indubie ex utriuſque contextu deduci poſſe putaverim. Aſſerunt enim quod Πέρσαι τῆ Μακεδόνων, καὶ Ἀντιόχων ἀρχῆς ἀπέστησαν perinde quaſi ex ipſorum mente

mente idem foret *Antiochos*, & *Syriae Reges* dicere, ab *Antiochis*, vel *Syriae Regibus* deficere. Ac, ne Froelichio adverſus explicationem hanc in Euſebii, ac Syncelli textu a me uſurpatam ſcrupulus ullus, aut dubium oriatur, obſervaſſe juverit quod Syncellus ipſe [1] duobus in locis aſſerit Judaeos poſt Alexandri M. mortem ποτὲ μὲν Πτολεμαίοις, ποτὲ δὲ Ἀντιόχοις *aliquando quidem Ptolemaeis, aliquando vero Antiochis* tributa ſolviſſe; ideoque, ſicuti communi *Ptolemaei* nomine ſingulos Aegypti reges intellexit, ita quoque communi *Antiochi* nomine ſingulos Syriae reges indicavit, quamvis eodem ipſo in loco *Antiochum Deum*, *Seleucum Callinicum* in Syriae Regum ſerie nominaverit. Ergo Syncellus cum *Seleucum Callinicum* etiam *Antiochum* appellavit, non ad *Antiochum Deum* Photio, & Arriano memoratum reſpexit, & arte quadam *Antiochum II.* cum *Seleuco II.* ejus filio confudit, ſed de unico diſtinctoque Seleuco II. loquuturus ipſum quoque communi, ut putabat, *Antiochi* nomine deſignavit. Num recte id ille fecerit, alii viderint. Quod ad praeſentem controverſiam attinet, dubitari certe non poterit, quin Euſebius, ac Syncellus Parthorum defectionem ſub Seleuco Callinico contigiſſe putaverint, nihilque prorſus praeſidii ex *Antiochi* nomine vel rite, vel perperam adjecto exſculpi a Froelichio poteſt, ut Syncelli hiſtoria ad Antiochum II. referenda videatur, nullusque dubito quin Froelichius, qui in Euſebii textu ANTIOCHORVM nomen majori charactere expreſſit, atque integrum Syncelli textum graece latineque exhibendum putavit, ut ipſius praeſidio oſtenderet Parthicam defectionem ſub *Antiocho* I. contigiſſe, locum illum minime proferendum putaſſet, ſi perſpicuum verumque Syncelli ſenſum aſſequutus fuiſſet, ideoque facile conſpexiſſet in Euſebii, ac Syncelli textu Parthicae defectionis initium non ſub Antiochi II. ſed Seleuci II. temporibus certiſſime collocari. Sed nihil etiam, ut antea dixi, ex Arriani, vel Photii verbis exſculpi poteſt, ut Parthici Regni initium ad Antiochi II. tempora neceſſario referatur, ideoque Syncelli narratio non modo perſpicua,

(1) *Pag. 276. & 277. edit. Pariſ.*

ſpicua, ſibique conſtans eſſe conſpicitur, verum etiam facile cum Arriani, ac Photii loco componi illa poteſt. Quod vero Euſebius ſui interpres in Poſteriori Chronico defectionem illam in Antiochi II. fine, ſive Seleuci Callinici initio collocaverit, id unum oſtenderet, quod Euſebius verum defectionis annum ignoravit, ideoque defectionem, quam in Priori Chronico ſub Seleuco II. contigiſſe jam dixerat, ad annum illum proxime revocavit, quo Seleucus defuncto patri ſuccedens imperium ſuſcepit, ut ſuperius eſt obſervatum.

DVBIVM IV.

Parthici regni initium ad annum V. C. 509., vel 514. referendum eſſe ex pulcherrimo Agathiae, ſive potius Suidae loco oſtendi poſſe putavi. Etenim Scriptor ille [1], ipſique conſentiens Syncellus [2], & Agathias [3] de Macedonibus ex Perſide ejectis, Parthicoque imperio ab Arſacidis inſtituto loquens ait: Ἀρσάκης ὁ Παρθυαῖος τὰς Μακέδονας κρατήσαντας τῆς Περσῶν ἀρχῆς ἔτη ΣϚΓ ἐκβαλὼν, Πάρθοις τὴν βασιλείαν παρέδωκε *Arſaces Parthus Macedones, qui Perſarum imperium 293. annis tenuerant, ejiciens regnum Parthis tradidit*. Ad ea igitur Suidae verba adnotavi: *Quum vere Macedones, & Syriae Reges Macedonum ſucceſſores non 293., ſed vix 100. annis Perſidis imperio potiti ſint, in Agathiae, vel Suidae textu cum Scaligero legendum arbitror* τὰς Μακέδονας, κρατήσας τῆς Περσῶν ἀρχῆς ἔτει ΣϚΓ, ἐκβαλὼν Macedonas imperio Perſarum anno 293. potitos ejiciens. *Ergo prima Arſacis defectio contigit anno 293., ex quo Cyrus Babylonem ingreſſus imperium illud inſtituit. Primus autem Cyri annus, ut accurate oſtendit Petavius* [4], *in annum V. C. 216. incidiſſe debuit, adeoque Arſacis in Parthia defectio ad annum V. C. 509. ſpectaret. Quandoquidem vero Syncellus ab eodem illo Cyri anno ad Callinici quidem exordium, quo regnante, Arſacem a Syriae regibus defeciſſe dixerat, 286. annos enumerat, ſed ab initio Cyri ad defectionem ipſam*

E 293.

(1) *In* Ἀρσάκης. (2) *Pag. 284. edit. Pariſ.* (3) *Lib.* II. *pag. 46.*
(4) *Doctr. Temp. Libr. X. c. 16.*

293. *effluxiſſe dicit, ex Syncelli calculo Arſacis defectio anno V. C. 514. contigiſſet.*

Hic primo Froelichius, & optime id quidem, obſervavit quod graeca verba a me propoſita non ex Agathiae fonte, ſed ex Suidae rivulo derivata ſunt, ideoque ſub Agathiae nomine haec afferri non poterant. Si de graeco textu, quem ego protuleram, loquatur Froelichius, id ingenue ego fateor, & me quoque ſilente, quilibet intelligere profecto poterit, quum ibi non Agathiae, ſed Suidae ſolum verba accurate exhibuerim. At, ſi de Agathiae ſententia diſſeratur, locus ille non Suidae ſolum, ſed Agathiae quoque, & Syncello velut antiquiori, meliorique auctori adſcribi poterit; cum Agathias eandem prorſus hiſtoriam, eundemque 293. annorum numerum, licet, ut inferius oſtendam, diverſo plane ſenſu, nobis expreſſerit. Itaque de Scriptoris nomine diſceptare cum Cl. Froelichio nolim; atque pulcherrimum locum non Agathiae, ſed Suidae ſolum, ſi Froelichio libet, eſſe nunc dicam. Tantum tamen abeſt, ut exinde Froelichii ſententiae praeſidium, aut robur ullum accedat, ut potius dubia ab illo contra Suidae locum propoſita facilius hinc dirimi, refellique poſſint.

Ac certe quidem, ut pulcherrimo Suidae loco, ſive potius argumento, quod inde deduxeram, occurreret Froelichius [1], plura ſubtiliter obſervavit, ut oſtenderet in graeco Suidae, vel, ut ait ipſe, in Agathiae textu ἔτει ΣϚΓ legi, vel emendari non poſſe. Etenim, inquit ille, Agathias [2] de Medorum Regno ita loquitur Ἔτη δὲ τούτων ἐν τῇ ἀρχῇ δυναστευσάντων οὐ μεῖον ἢ τριακόσια *cum vero hi Medi annos non minus quam trecentos imperio potiti eſſent*; deinde de Perſarum Regno ita ſubdit Κρατήσαντες δὲ καὶ οἱ Περσικοὶ βασιλεῖς ὀκτὼ δὲ καὶ εἴκοσι καὶ διακόσια ἔτη *Perſici autem Reges cum imperaſſent annos viginti octo ſupra ducentos*; mox Macedonum regnum proſequitur, de cujus duratione ita habet Τοιγάρτοι ἄρξαντες οὐ λίαν ἐλάττονα χρόνον τῶν Μήδων ὅτι μὴ ἑπτὰ ἔτεσι δέοντα *hi ſiquidem cum imperaſſent non valde minori tempore, quam Medi,*

(1) *Pag. 26.* (2) *Lib. II. pag. 46. edit. Ven. 63. 64. edit. Pariſ.*

di, quia nec ſeptem annis minore. Itaque, concludit Froelichius [1], ex hoc Agathiae fonte Suidas, & etiam antea Syncellus deduxit annos 293. imperii Macedonici, *durationis* nimirum annos, non initium, aut quoto anno coeperit, aut deſierit; ideoque in Agathiae, Syncelli, ac Suidae textu ἔτει pro ἔτη reſcribi, annorumque numerus a Cyri initio deduci non poterit.

Ingenue libenterque fateor quod emendatio, aut explicatio in Suidae loco tum a Scaligero, tum a Berneccero [2], tum a me propoſita Agathiae loco, quem Froelichius hic protulit, adhiberi non poteſt; eumque Agathiae locum a Froelichio mihi oppoſitum ſincerum, & accuratum eſſe concedo. Illud tamen obſervari maxime velim, quod controverſia, ac explicatio non de Agathiae, ſed de Suidae loco tentata a me fuerat; qui, quamvis in annorum numero ſincero Agathiae teſtimonio reſpondere, vel cohaerere debere videatur, ab illo tamen accuratiſſime diſtingui, certoque vitiatus haberi debet; cum duratio τ̃ Περσῶν ἀρχῆς *imperii ſupra Perſidem* apud Macedones ad 293. annos extendi non poſſit, vixque ad 100. annos pervenerit, ut in Diſſertatione jam obſervavi.

Froelichius tamen aſſerit ejuſmodi imperii Macedonici durationem in Agathiae, & Suidae quoque loco expreſſam optime ſalvari poſſe, ſibique viam, ac rationem affulſiſſe dicit [3], qua *abſque ulla certi, & conſtantis textus arbitraria permutatione Agathias explicetur*. Itaque obſervat Froelichius quod *Macedonum regnum Agathias extendit in omnes Alexandri Magni ſucceſſores, etiam Aegypti Reges. Igitur Macedonum univerſum tempus regni deficit denique vel in pugna Actiaca, vel in morte Cleopatrae ultimae e Macedonum ſtirpe reginae ... incipit vero Agathias regnum Macedonum diſerte ab interfecto Dario*; cum ergo Darius anno V. C. 424. interfectus fuerit, Cleopatra vero anno V. C. 724. obierit, Froelichius aſſerit quod optime Macedones ab Agathia, & Suida Perſarum Regno annis fere 300., ſive annis 293. potiti dicuntur. Ejuſmodi vero Agathiae, ſimulque Suidae explicandi rationem a ſe

E 2 ex-

(1) *Pag.* 38. (2) *In notis ad Juſtin. Lib. XLI. c.* 4. (3) *Pag.* 40.

Digitized by Google

excogitatam felicem adeo putavit Froelichius, ut Suidae locum, quem ego protuleram, *& pulcherrimum* eſſe dixeram, *perpulcra ſane dubia* ſibi *ſuppeditaſſe* confidat [1].

An haec Clariſs. Viri dubia perpulcra cenſenda ſint, ejuſque explicatio Suidae loco a me propoſito aptari poſſit, alii viderint. Ego ſane, ut leviores in ſubducendo calculo errores, aut difficultates omittam, illud unum obſervo quod explicandi ratio a Froelichio propoſita tum a veritate, tum a perſpicuo Suidae ſenſu manifeſtiſſime abhorret. Etenim, ſi Arſaces imperium arripiens Macedones expulit τῆς Περσῶν ἀρχῆς *Perſico imperio*, quo per annos 293. potiti fuerant, & hic ipſe 293. annorum numerus, Froelichio judice, in Actiaca ſolum pugna, vel Cleopatrae morte completur, quis aperte non videat quod ex Suidae teſtimonio ſic explicato, ſive ex Froelichii hypotheſi neceſſario dicendum foret quod Arſaces ex Perſidis, vel Parthiae imperio Macedonas nonniſi poſt Actiacam pugnam, & Cleopatrae mortem expulit, ideoque Parthorum defectio, Parthicique imperii initium ex Suidae mente poſt Cleopatrae mortem collocari deberet? Hac autem explicandi via, quam Froelichius excogitavit, quid abſurdius, & a Suidae ſententia magis alienum effingi poteſt? Itaque, ut hoc abſurdum, & graviſſimus error, qui Froelichio obrepſit, declinetur, neceſſario dicendum erit aut quod in Suidae textu numerus 293. depravatus eſt, aut certe, ut ego pridem conjeceram, quod eo numero non duratio, vel tempus exprimitur, quo Macedones ante Arſacis defectionem Perſide vel Parthia potiti fuerant, ſed annus in Perſica quadam aera, ſive ab initio Cyri numeratus indicatur; ideoque, cum ex Petavii calculo Cyrus inceperit anno 3, Olymp. 60. Per. Jul. 4177., ſive V. C. 217., annus 293. in hac Epocha numeratus in annum V. C. 510. incideret, quo Arſaces ex Suidae ſententia Macedonas ex Perſide expellens Parthicum regnum inſtituiſſet. Quamvis autem, ut opponit Froelichius [2], in ſtabiliendo Perſicae aerae cardine, annorumque a Cyri initio ſupputandorum numero opinio-

(1) *Pag.* 47. (2) *Pag.* 42.

nionum varietas habeatur, haec tamen varietas, ac dubia, quae exinde deducit Froelichius, in explicando Suidae loco opponi non poterunt; cum Suidas a Cyri initio ad Callinici exordium, hoc eſt ad annum V. C. 507., annos 282. ſuppurare potuerit, quamvis in Petavii calculo 290. ſupputentur.

Quandoquidem tamen haec emendatio, quam Scaligeri veſtigiis inſiſtens in ſolo Suidae loco propoſui, ac recepi, a Froelichio in dubium vocatur, & ab illa ratione diſſidet, quam Agathias in textibus a Froelichio prolatis in ſupputandis regnorum intervallis adhibuit, juverit hic aliam Suidae explicandi rationem proponere, quae fortaſſe clarior, ac veriſimilior ſit futura, ideoque facile Froelichii dubiis obnoxia non ſit. Itaque, niſi Suidas ipſe erraverit, ut mox obſervabitur, ſuſpicor in Suidae textu, quem ſolum vitiatum eſſe contendo, non *ἔτη ΣϚΓ annos* 293. ſed *ἔτη ϚΓ annos* 93. legendum eſſe, ſoloque Exſcriptoris, aut imperiti Critici vitio factum eſſe, ut in Suidae textu nunc *ἔτη* ΣϚΓ habeatur. Scripſerat, opinor, Suidas de Parthici regni initio, & Arſacis defectione loquens quod Arſaces ipſe Macedonas annis 93. ea regione potitos ex Perſide expellens imperium illud Parthis aſſeruit. Agathias vero de regnorum duratione, ac viciſſitudine diſſerens dixerat Medos non minus quam 300. annis, Macedonas vero totidem, ſed 7. ſolum demptis, ideoque 293. annis imperaſſe. Itaque infelix quidam Criticus, qui haec duo Suidae, & Agathiae loca inſpexit, in Suidae, atque, ut inferius oſtendam, in ipſo quoque Syncelli textu, ubi non de univerſa Macedonici regni duratione, ut in Agathia, ſed de ſola Perſidis poſſeſſione agebatur, pro annis 93., qui optime, accurateque in Suidae, ac Syncelli loco exprimebantur, annos 293. exprimendos, aut reſcribendos eſſe putavit: perinde quaſi Syncellus, ac Suidas cum perſpicuo Agathiae teſtimonio componi non poſſent, niſi utrobique idem prorſus 293. annorum numerus haberetur; cum tamen in Agathia quidem numerus 293. optime ſcriptus foret, ut illo univerſa Macedonici regni duratio exprimeretur; at

ingens

ingens ille annorum 293. numerus a ſuſcepto Macedonum ſupra Perſas imperio ad Macedonas ipſos Perſide expulſos, ad Arſacis defectionem, & Parthici imperii initium in Syncello, ac Suida haberi non poſſet; optime vero in duobus Scriptoribus illis numerus 93. intelligi, ſalvarique poſſit; cum Macedones in Perſide vix 100. annis imperaverint, ut in Diſſertatione jam demonſtravi.

Ac certe quidem Syncellum non de univerſa Macedonici *regni duratione*, ſed de ſola Perſidis, aut *Parthiae poſſeſſione* loquutum eſſe perſpicue certoque ex ipſius verbis apparet. Ait enim Ἀλέξανδρος Μακεδόσι τὴν Περσῶν βασιλείαν ἐπιδέδωκεν. ἐκράτησαν δὲ τῆς Περσικῆς ἀρχῆς Μακεδόνες ἔτη ΣϚΓ, οὓς ἐκβαλὼν Ἀρσάκης ὁ Παρθυαῖος Πάρθοις τὴν βασιλείαν Περσῶν παρέδωκεν. Ἐβασίλευσαν δὲ Παρθυαῖοι ἀπὸ Ἀρσάκου ἀρξάμενοι μέχρις Ἀρταβάνου ἔτη ΣΟ· ἐβασίλευσε δὲ Ῥωμαίων ὁ Μαμμαίας Ἀλέξανδρος ἥνικα Ἀρτάβανος ὁ Πάρθος Περσῶν ἐβασίλευσε[1] *Alexander Macedonibus Perſarum regnum tradidit: potiti vero ſunt Macedones Perſico imperio annis 293., quos expellens Arſaces Parthus Perſarum regnum Parthis dedit. Parthi vero ab Arſace incipientes uſque ad Artabanum annis 270. regnarunt: imperabat autem Romanis Alexander Mammaeae filius eo tempore, quo Artabanus Parthus Perſis imperabat*. Itaque, cum Syncellus perſpicue adeo, diſerteque non univerſum Macedonici in gentes alias imperii tempus, ſed ſolam in Perſide durationem, antequam ex illa ab Arſace pellerentur, expreſſerit, non aliunde, quam ab infelicis Critici cujuſdam manu, fieri potuit, ut in primo Syncelli loco non anni 93., ut debuerant, ſed perſpicuo errore anni 293. nunc habeantur.

Nec aliunde quoque factum putaverim ut deinde in Syncello ipſo error alius irreperet, ubi ab Arſacis initio ad Artabani mortem anni duntaxat 270. numerantur, quod ab hiſtoriae fide, & ab ipſa quoque Vaillantii, ac Froelichii ſententia mire abhorret. Scripſerat, opinor, Syncellus Parthicum imperium initio ab Arſace rege ducto ad Artabanum uſque YO 470. annis ſtetiſſe; at Criticus ille, qui in primo Syn-

(1) *Chronogr. pag. 286. edit. Ven. 359. edit. Pariſ.*

Syncelli textu Macedonum regno 200. annos adjecerat, videns a Darii morte ad Artabani mortem, nimirum ab anno V. C. 424. ad annum 979. temporum ſeriem conſtare non poſſe, niſi anni totidem 200. Parthorum regum imperio detraherentur, pro ΥΟ 470. reſcripſit ΣΟ 270., atque ejuſmodi emendatio, ſive corruptio in Agathiae quoque textum irrepſit, ut Agathias cum Syncello componi poſſet. Sed quocumque tandem ex fonte error ille in Syncello, & Agathia profluxerit, dubitari non poteſt quin Parthicum imperium ab Arſace ad Artabanum uſque 470. ſaltem annis floruerit, ideoque in utriuſque Scriptoris loco, in quo, Froelichio ipſo judice, *error certus eſt*, facili nativaque ratione ΥΟ legendum eſſe jam monui, nihilque prorſus, Cl. Froelichii pace, adverſus hanc emendationem opponi poteſt. Itaque, cum Artabanus poſtremus Parthorum Rex anno V.C. 979. occiſus, atque in illo Parthicum Regnum prorſus deletum fuerit, perſpicue apparet quod Parthici Regni initium ex Agathiae, & Syncelli mente in V. C. annum 510. incideret, qui fere ex emendato Suidae teſtimonio, ſive ex Macedonici imperii per annos 93. in Perſide duratione prodierat; ideoque, ſi ſuperior Agathiae, & Syncelli locus, qui certiſſime depravatus eſt, ea ratione, qua nulla ſimplicior, & probabilior effingi poteſt, emendetur, numerique rite reſtituantur, annorum numerus cum Suidae mente, & hiſtoriae fide mire conſentiet, & Arſacidarum initium in annum V.C. 510. incidet, quod characteribus, & teſtimoniis aliis oſtendi.

Certe, ut perſpicuis Auctorum aliorum teſtimoniis in Diſſertatione prolatis, teſtimonium aliud adjiciam, Dio Parthici Regni initium, ac durationem ita nobis expreſſit, ut imperium illud circa annum V. C. 510. incepiſſe, ac 470. floruiſſe dixerit. Aſſerit enim *μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος τελευτὴν, οἱ ἐκείνου διάδοχοι Μακεδόνες, ἐπὶ πλεῖστον μὲν Περσῶν τε καὶ Παρθυαίων ἦρχον, καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν· κατ' ἀλλήλων δέ γε χωρήσαντες, ἀλλήλους κατέλυσαν. ἐκείνων δ' οὕτως ἠσθενηκότων, πρῶτος Ἀρσακίδης Παρθυαῖος τῇ ἐξ αὐτῶν ἀποστασίᾳ ἐπικεχείρηκε, καὶ Παρθυαίων ἐκράτησε, καὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀπο-*

γόνοις

γόνοις κατέλιπε τὴν ἀρχὴν, ὧν τελευταῖος γέγονεν ὁ Ἀρτάβανος : [1] *poſt Alexandri Macedonis obitum ſucceſſores illius Macedones longiſſimo tempore Perſis , & Parthis , aliiſque gentibus imperarunt : donec in ſeipſos ruentes , ſemet invicem everterunt. Quibus ita attritis , primum Arſaces Parthus ab eis deficere , & Parthis imperare coepit , regnumque ſuis poſteris reliquit , quorum fuit ultimus Artabanus .* Itaque ex Dionis mente tunc Parthicum regnum incepit poſtquam Macedones Alexandri ſucceſſores , qui in Parthia imperaverant , *in ſe ipſos ruentes ſemet invicem everterunt* : quod ſane de Antiocho *Hierace* adverſus Seleucum *Callinicum* fratrem ſuum certante intelligi debet . Ergo Parthici regni initium circa annum V. C. 510. contigiſſe debuit , quo fatente Froelichio ipſo civiles illae, fraternaeque diſcordiae fervebant ; cumque ex Dionis mente Parthicum imperium in Artabano defecerit anno V. C. 979., perſpicue apparet quod imperium illud annos 470. duravit, ut emendato Agathiae , & Syncelli loco demonſtravi , atque ex altero Suidae loco confirmari poteſt .

Optime quidem novi quod etiam inter Antiochos alios Syriae reges , ideſt *Epiphanem* vulgo *Grypum* , & *Philopatorem* vulgo *Cyzicenum* bella exarſerunt circa annum V. C. 650.,ſed prima Parthorum defectio ad illorum tempora revocari certe non poterit ; quemadmodum nullo prorſus indicio oſtendi poteſt quod aut Vrbes , aut Provinciae quaedam civilis ejuſmodi belli tempore aut libertatem , aut privilegia ſibi arrogaverint . Itaque , ut id obiter , ac opportune obſervetur , Froelichius [1] fallitur cum ex Juliae Domnae nummo deduxit Epochae a Paltenis adhibitae initium *in ea tempora incidere , quibus acria inter fratres Antiochos Syriae reges bella anſam dedere Syriae urbibus libertatem , aut alia privilegia extorquendi.* Gravis hic doctiſſimi Viri error inde profluxit quod Froelichius in eo nummo epocham quandam expreſſam eſſe putavit, cum nulla tamen effingi ibi poſſit . In nummo , quem Froelichius hic protulit , quique in Muſeo etiam Muſelliano [2] reperitur , legitur

IOY.

(1) *Append. pag. 50.* (2) *Addend. Tab.VIII. n. 4. pag.343. Libr. LXXX. ex Excerpt. Peireſch.*

IOΥ. ΔΟΝΝΑ ΕΤ. ΠΑΛΤΗΝΩΝ

ideoque Froelichius hic annum 305. in Paltenorum Epocha numeratum eſſe putavit. At Paltenorum Epocha ab anno V. C. 706. cum Noriſio deduci debet; nulluſque ego dubito quin in nummo ΕΥ pro ΕΤ. hoc eſt **Ευσεβης**, vel **Ευτυχης** legendum ſit; cum Auguſta illa *Julia Domna Pia Felix* diceretur, ut in nummis aliis [1] apparet. Sic in Muſeo Theupolo [2] M. Otaciliae nummus occurrit, in quo legitur

ΜΑΡ. ΟΤΑ. ΣΕΒΗΡΑΝ ΕΥΤΕΥΣΣΕΒ

ubi Clar. Editor ſiglas illas **ΕΥΤΕΥΣ** minime aſſequutus eas inexplicatas reliquit; cum tamen ibi quoque **ΕΥΤυχην ΕΥΣεβην** legi debeat. Itaque in Domnae nummo, quem Froelichius laudavit, nulla prorſus epocha reperitur, ejuſque initium prorſus immerito a civilibus Antiochorum diſcordiis duceretur. Arſacidarum tamen defectio a civilibus ipſorum bellis ex Dionis, aliorumque Scriptorum teſtimonio deduci debet; ideoque imperium illud 470. annos duravit, ut etiam ex Syncelli, & Agathiae locis rite emendatis apparet.

Si id ego rite conjecerim, ac Suidae, & Syncelli locus, qui certiſſime depravatus eſt, hac facili, nativaque de cauſſa vitiatus cenſeatur, ideoque facili, nativaque ratione ſanetur, a Darii morte, a qua Macedonum imperium Scriptores illi auſpicantur, ad Arſacis defectionem, Parthicique regni initium 93. anni ex Suidae, & Syncelli ſententia numerari debebunt; ideoque, cum Darii mors in annum V. C. 424. inciderit, Arſacis defectio, ſive potius, ut Suidae verbis utar, imperium in Perſide, expulſis Macedonibus, a Parthis occupatum ad annum V. C. 516. referri debebit. Ac certe quidem hic Suidas non de primis Parthorum motibus, quos ſuborta jam Seleuci Callinici, & Antiochi Hieracis fratrum diſcordia circa annum ab V. C. 510. erupiſſe jam dixi, ſed de *regno* a Parthis inſtituto loqui videtur, cum perſpicue dicat quod Arſaces Macedonibus Perſide expulſis Πάρθοις τὴν βασιλείαν παρέδωκε *Parthis regnum tradidit*, quod optime in annum

F

(1) *Muſ. Theup. pag. 216.* (2) *pag. 1066.*

num V. C. 516. congrueret, cui victoriam ab Arſace partam Froelichius ipſe adſcribit [1].

Quod ſi neque haec altera Suidae explicandi, vel emendandi ratio Cl. Froelichio arridere, probarique poſſit, illud unum certe ſupererit ut Suidam ipſum deceptum eſſe dicamus, cumque ille in Agathia conſpexiſſet Macedonici imperii durationem ad annos 293. extendi, quod optime Scriptor ille de univerſo imperii tempore expreſſerat, quo Macedones variis in locis potiti fuerant, id Suidas de ſola Macedonici ſupra Parthos imperii duratione intellexit, ideoque immani errore a Macedonici imperii exordio ad Arſacis defectionem, ad Macedonas Parthia expulſos, ad Parthicum regnum Arſacis opera inſtitutum 293. annos fluxiſſe dixit. Itaque, ne in vexato hoc Suidae loco diutius immorer, id mihi facile concedendum confido quod Suidae locus, quem explicandum ſuſceperam, ex Froelichii ipſius hypotheſi explicari certe non poteſt; ac locus ipſe, annorumque numerus in illo expreſſus, niſi a Cyri initio ducatur, quod olim conjeceram, certo aut perperam a Suida expreſſus, aut depravatus cenſeri debet; ideoque, niſi emendatio nunc a me propoſita admittatur, aut depravatus Suidae textus aliquo codicum praeſidio reſtitui poſſit, nihil prorſus ex ejuſmodi Suidae loco tum pro mea, tum pro Vaillantii ſententia exſculpi poſſe videtur. Ex altero tamen Syncelli, & Agathiae loco, ubi Parthicum imperium 470. annos perſtitiſſe illi dicunt, neceſſario inferri debet imperium illud, quod anno V. C. 979. extinctum fuit, & 470. annis duravit, circa annum V. C. 510. incepiſſe, ut proinde ſaltem ex hoc alio Agathiae, & Syncelli, ac Dionis etiam teſtimonio Arſacidarum initium a me conſtitutum perſpicue confirmetur.

DVBIVM V.

Atque hactenus quidem Froelichius Scriptores illos dubiis ſuis ſolicitavit, quos mihi adverſari, vel in oppoſitam mihi ſententiam inflecti poſſe putaverat. Nunc vero dubiis alîis

(1) *Pag. 55.*

aliis Scriptores etiam illos tentare nititur, quos Vaillantio, ſibique contrarios eſſe, mihique favere concedit. Itaque ingenue quidem fatetur [1] quod *Parthica defectio ad mentem Strabonis circa annum V.C. 511. aut 512. ſtatuenda eſt*; quemadmodum ex Appiani hiſtoria concedendum exiſtimat Parthos anno V.C. 509. proxime defectionem incepiſſe; ſed annos tamen illos a Strabone, & Appiano indicatos longe ab anno V.C. 525. abeſſe dicit Froelichius, quo Parthicam aeram inſtitutam eſſe putavi; quum tamen illam Arſaces ab ipſo [2] *principatus ſui, & primum excuſſi jugi Macedonici exordio inſtituiſſe videatur*. Accedit etiam quod victoria illa, ex qua *diem Parthi ſolemnem, veluti initium libertatis, obſervabant*, ut ait Juſtinus, anno V.C. 516. quam proxime adſcribenda videtur Froelichio [3], cum anno illo primum Seleucus in Arſacem moverit, atque Arſaces ipſe initio quidem ex Strabone fugam arripuerit, ſed mox tamen ex Juſtino vicerit. Quin etiam victoria alia, qua Arſaces, ut opinatur Froelichius, Seleucum non modo ſuperavit, ſed etiam captivum in Parthiam abduxit, anno V.C. 519. adſcribi debet; ideoque, licet dies ſolemnis, & aerae initium ab hac altera victoria incepiſſet, ab anno tamen 525. plurimum diſſideret. Ita nimirum ex Froelichii [4] calculo Seleucus anno V.C. 519. in captivitatem abductus, in illa ex Athenaeo [5] πόλυν χρόνον *diu*, hoc eſt ſeptem annorum ſpatio, Froelichio quidem judice, in Parthia vixiſſet, & anno 526. promiſſa cum barba in Syriam reverſus Rhodiis terraemotu aſſlictis dona ſubmiſiſſet, annoque proximo 527. equo delapſus exceſſiſſet.

Vt haec Froelichii dubia, ſimulque rerum, ac temporum ſeries ab illo contexta, quae univerſa fere vel dubia, vel falſa oſtendentur, accurate explorentur, obſervaſſe juverit quod ipſe duplicem contra Seleucum victoriam ab Arſace partam hic aſſerit, ejuſque victoriae teſtem Juſtinum producit; cum tamen Juſtinus de unica ſolum victoria loquatur; ea nimirum, qua parta, revocato novis motibus in Syriam Seleuco, datoque laxamento, Parthicum regnum ab Arſace firmatum

 fuit;

(1) *pag.* 52. (2) *pag.* 51. (3) *pag.* 55. (4) *pag.* 55. 57. (5) L. IV. c. 14.

fuit; ideoque perſpicue victoriam illam memoret, poſt quam Arſaces nullis amplius inſidiis, aut motibus a Syriae regibus turbatus fuit. Ergo nulla prorſus ex Juſtini mente victoria effingi poteſt, quae in annum V.C. 516. inciderit; ac Juſtinus ipſe Seleucum non bis, ſed ſemel tantum, adverſus Arſacem moviſſe dicit. Quod ſi Strabo priorem alium Seleuci motum adverſus Arſacem innuere videtur, perſpicue tamen aſſerit, quod tum temporis Arſaces e Parthia fugiens in Aſpaſiatras ſeceſſit; ideoque, ſi priorem illam Seleuci expeditionem ad annum V.C. 516. cum Froelichio referre libeat, eodem anno nulla Arſacis victoria, adeoque nulla novae aerae inſtituendae cauſſa contigiſſe poterit. Itaque ſupereſt ut una ſolum victoria ab Arſace parta ſtatuatur, qua is Seleucum jam victum in Parthiam abduxerit. Hanc vero non circa annum V.C. 519., ut Froelichius exiſtimat, ſed circa annum 525. contigiſſe ex teſtimoniis, & conjecturis illis apparet, quas accurate Vaillantius exhibuit. His addi poterit quod *ſeptennii* ſpatium, ad quod Seleuci captivitas a Froelichio extenditur, ab omni prorſus veri ſpecie abhorret. Quis enim exiſtimet Syriae regem tandiu in Parthia captivum vixiſſe, nec unquam de recuperando regno, de pace, vel foedere cum Arſace ineundo, niſi poſt ſeptennium, cogitaſſe; aut ſaltem Seleuci filios, Ceraunum ſcilicet, atque Antiochum Magnum, aut de liberando patre, aut de occupando regno conſilia ſuſcepiſſe?

Quid vero ſi non modo ingens adeo captivitatis diuturnitas, ſed ipſa quoque Seleuci captivitas prorſus immerito a Froelichio propoſita, paulloque liberius ex ambiguo, aut potius depravato Athenaei loco exſculpta fuerit? Certe Juſtinus, qui haec omnia nitide diſtincteque memoravit, poſtquam dixerat Arſacem ex Seleuco victoriam retuliſſe, eumque victoriae diem veluti libertatis initium haberi coepiſſe, repente ſubdit Seleucum novis motibus in Aſiam revocatum fuiſſe, pauciſque interjectis aſſerit Arſacem, quaeſito ſimul, conſtitutoque regno celebrem obiiſſe. Itaque captivitas illa Juſtini teſtimonio perſpicue adverſatur; cum tamen Juſtinus ipſe

ipſe alibi diſerte memoret Demetrium Syriae regem ab Arſace Parthorum rege captum, regioque cultu in Parthia honoratum fuiſſe. Hinc ego ſuſpicor, & quolibet pignore contenderim in Athenaei textu pro *Seleuci* nomine *Demetrii* vocem reſcribendam eſſe; aut communi *Seleuci* nomine Demetrium ipſum, Syriae regem intelligendum eſſe, qui ab *Arſace*, hoc eſt a Mithridate Parthiae rege, in captivitatem ductus fuerit: cum praeſertim ingens ille Parthorum regum luxus, & aulae ſplendor, qui ab Athenaeo deſcribitur, vix ac ne vix quidem ad Arſacis II., ſeu Tiridatis, ideoque Seleuci Callinici tempora referri poſſit, quibus Arſaces in ipſo regni initio tot opes, aulaeque gloriam oſtentare certe non poterat. Accedit etiam quod Athenaeus aſſerit Seleucum *diu apud Arſacem commoratum, habitumque fuiſſe regia prorſus magnificentia, & impenſa*; ac Juſtinus [1] ait quod Demetrio Syriae Regi ab Arſace capto *Arſaces Parthorum Rex magno, & regio animo non cultum tantum regium praeſtitit, ſed & filiam in matrimonium dedit*. Denique Athenaeus aſſerit quod ille Syriae Rex *expeditione in Mediam ſuſcepta* ab Arſace captus fuit; atque in Sacris etiam Litteris [2] haec expeditio in Mediam ſuſcepta, & captivitas apud Arſacem Perſidis regem Demetrio Syriae regi tribuitur. Itaque dubitari vix poterit quin Poſidonii, vel Athenaei narratio de ſolo Demetrio Nicanore Syriae Rege intelligi, & ad annum V. C. 614. referri debeat; ideoque captivitas illa temere prorſus ac ſolo Athenaei vitio Seleuco Callinico afficta fuit.

Quemadmodum vero Froelichius in explicando Athenaei teſtimonio, aſſerendaque Callinici captivitate aberrat, ita quoque perſpicue, certoque fallitur ubi ingentia dona Rhodiis terraemotu afflictis a Callinico ipſo poſt ſeptennii captivitatem in Syriam reduce conceſſa dicit. Siquidem calamitas illa triennio ſaltem poſt Callinici mortem, anno V. C. 531. contigit; hoc eſt, ut perſpicue diſerteque docet Euſebius, anno 2. Olymp. 139. & *C. Flaminio Conſule*, ut teſtatur Oroſius [3]; ideoque Seleucus ille, qui Rhodiis opem tulit, *Cal-*

(1) *Lib. 38. c. 9.* (2) *Machab. lib. I. c. 14. v. 2.* (3) *Lib. IV. c. 13.*

Callinicus eſſe non poterat, ſed *Ceraunus* Callinici filius fuit; qui quamvis a Polybio [1] Antiochi Magni *pater* dicatur, ejus tamen *frater* dicendus erat; quemadmodum Antiochis illa, quam ego Antiochi Magni *ſororem* vocavi, ejus Antiochi *filia* dicenda fuerat. Video quidem quod Froelichius ipſe Callinici captivitatem, ac diuturnum ejus captivitatis tempus ex eo Polybii loco deduci, vel confirmari poſſe putavit, in quo *Callinicus* ipſe Πώγων, ſive *Barbatus* vocatur; ille nimirum exiſtimat [2] quod Callinicus, *quod promiſſa cum barba Syriae Regibus antehac non uſitata e captivitate Parthica rediiſſet, a dicaci Populo* Πώγων *barbatus dictus eſt*, ejuſque captivitatis indicium in nummis etiam occurrere exiſtimavit, in quibus aliquando *Seleuci regis* vultus barbatus conſpicitur. At doctiſſimi Froelichii pace, nihil omnino Polybius de populi dicacitate, vel nominis cauſſa memoravit; ideoque nihil ex Polybii verbis exſculpi poteſt, quo Seleuci captivitas oſtendatur. Deinde vero cur Callinicus, ſi captivus quidem in Parthia vixiſſet, atque Athenaeo teſte humaniter adeo ſplendideque ab Arſace honoratus fuiſſet, cur, inquam, barbam alere debuiſſet, aut in Syriam reverſus hoc infortunii ſui ſpecimen in nummis oſtentaſſet, ubi praeſertim a dicaci populo *Pogonis*, vel *barbati* nomen accepiſſet? Denique quo charactere, vel indicio probari poterit quod nummus ille, in quo nihil aliud, quam ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ *Regis Seleuci* legitur, *Callinico* potius, quam alteri *Seleuco* Syriae regi, tribuendus ſit, aut a Callinico ex Parthica captivitate jam reduce cuſus fuerit? Sed quamvis etiam liberaliter concedatur Callinicum, dum in Parthia degeret, Parthorum regum inſtar, barbam aluiſſe, & nummum barba inſignem non alteri Seleuco, quam Callinico, tribuendum eſſe, eumque nummum non ante, ſed poſt captivitatem cuſum fuiſſe, quis tamen conceſſerit barbam illam *ſeptennalis* captivitatis indicium eſſe oportere, ideoque diuturnum adeo captivitatis tempus ex Polybio, vel nummis confirmari? Ergo, ſi omnia accuratius perpendantur, vel Callinicus nunquam apud Parthos

(1) *Lib. V. pag.* 600. (2) *Pag.* 36.

thos captivus fuit, vel certe tempus illud, quo in Parthia apud Arſacem ſubſtitit, vix, ut opinor, unius anni cenſeri poterit; ideoque, ſi Callinicus ex ipſa Froelichii hypotheſi penultimo ſolum vitae ſue anno, hoc eſt V. C. 526. in Syriam rediit, Seleuci captivitas, Arſacis victoria, ſolemnis libertatis dies, aerae Parthicae initium anno V. C. 525. veriſimilius adſcribi debebit.

Denique poſtremo loco opponit Froelichius quod Arſacidarum epocha ex inito potius regno, quam ex victoria parta, inſtituta videtur, idque Seleucidarum Epochae exemplo confirmat, quae non a victoria, ſed a ſuſcepto regno, exorditur. Facile tamen Froelichius ipſe exempla plurima adjeciſſe poterat, in quibus aerae non ab inito regno, ſed a victoria parta exordiuntur, ut Actiaca, aliaeque plures, quae a Noriſio, Spanhemio, aliiſque pluribus memorantur. Itaque, ſi mos ille apud Gentes alias obtinuit, quanto facilius apud Parthorum regem, qui initio, Juſtino teſte, infirmus, variiſque motibus agitatus fuit, *ſolemnem* victoriae *diem velut initium libertatis*, liberi nempe certique regni, ac imperii obſervari voluit? Nec aliunde certe factum putaverim, ut antiquiores Parthorum regum nummi in adverſa facie puellam exhibeant, quae ſedenti Regi vel palmam, vel coronam, *victoriae* nempe ſymbolum, afferre videatur, niſi quia Parthiae reges in nummis primum cuſis victoriam illam veluti certum regni firmati initium exprimere voluerint, moxque nummis ipſis annorum numerum ab eadem illa victoria ſupputatorum adjecerint.

DVBIVM VI.

Supremo tandem loco Froelichius Ammianum Marcellinum, Hiſtoriarum Collectorem, & Tacitum proferendos putavit, quorum primus Arſacidarum defectionem ſub Seleuco I. ſive *Nicatore* collocavit; ſecundus, nimirum, ut antea obſervavi, larvatus Scaliger, anno V. C. 487. defectionem illam adſcripſit; Tacitus vero Parthici regni initium, ſive

ſive potius incrementum Antiochi IV. ſive *Epiphanis* temporibus adſcribens ad annum circiter 580. V. C. revocavit. Quamvis autem Froelichius ingenue fateatur Scriptores illos a veritate plurimum aberraſſe, eos tamen Vaillantio potius, quam Corſino, favere dixit; ideoque tandem concludit quod *e Chronologorum fere omnium conſenſu, e Scriptorum veterum Graecorum, Latinorum, Peregrinorum teſtimoniis certis, dubiis, erroneis grave profecto dubium exiſtit an multo probabilior habenda ſit Vaillantii, quam Corſini, de Aerae Parthicae initio ſententia* [1].

Profecto, ſi quidquid confidenter adeo Froelichius hic aſſerit, admitti poſſet, de Minniſari Armeniae Regis nummo, & Arſacidarum Epocha a me conſtituta actum foret, neque is ego forem, qui *Scriptorum veterum Graecorum, Latinorum, Peregrinorum teſtimoniis* pervicaciter adverſari velim, eamque opinionem defendere, ſi ex teſtimoniis illis *grave dubium exiſtat an multo probabilior habenda ſit Vaillantii, quam Corſini, de aerae Parthicae initio ſententia*. Verum aut ſplendide hic ego fallor, aut certe ex iiſdem illis Scriptorum veterum teſtimoniis longe probabilior haec mea, quam Vaillantii, ſententia haberi debet.

Ac certe Scriptores omnes, qui ex Graecis, Latinis, Peregrinis aliqua de Parthici regni initio memorarunt, a me jampridem, aut a Froelichio recenſentur Ammianus, Tacitus, Hiſtoriarum Collector, Moſes, Mircondus, Strabo, Appianus, Agathias, Arrianus, Photius, Euſebius, Syncellus, Suidas, Juſtinus, quibus ego Dionem, ac Philoſtratum adjungendum eſſe obſervavi. Age vero, Froelichio ipſo judice, nunc expendamus an Scriptores illi Vaillantio potius, quam mihi adverſentur. Hiſtoriarum Collectorem, Scaligerum nempe, ex veterum Scriptorum numero expungendum eſſe jam vidimus. Tacitus quidem a vero Parthici imperii tempore aberrat, ſed magis tamen ad annum V. C. 525. a Corſino poſitum, quam ad 498. Vaillantio probatum accedit. Ammianus perſpicue quidem fallitur, ſed tamen cum Arſacis

(1) *Pag.* 62. 63.

cis defectionem ejus *Seleuci* temporibus contigiſſe dicat, cui *crebitas victoriarum nomen indidit*, licet *Nicatorem* hunc appellet, *Callinicum* potius intellexiſſe videtur, aut certe ipſius teſtimonium pro *Antiochi Dei* temporibus, ſive Vaillantii ſententia, afferri non poteſt. Mircondum, & Moſem, exoticos nempe Scriptores, qui turpiter adeo in ceteris hiſtoriae Parthicae capitibus aberrarunt, nihil moror. Arrianus, aut Photius rite explicati nihil omnino memorant, quo Parthicam defectionem ſub Antiocho Deo contigiſſe oſtendatur, ſed de proximis potius Seleuci II. temporibus intelligi profecto poſſunt. Strabo, Appianus, ideoque etiam Dio Arſacidarum initia poſt annum V. C. 510. fatente Froelichio ipſo collocarunt. Ex Suidae, & Agathiae calculo, ſi juxta Froelichium is explicetur, nihil omnino pro alterutra ſententia exſculpi poteſt. Sin vero Agathiae textus, in quo Froelichio ipſo judice *error certus eſt*, rite emendetur, ſimulque Suidae textus, cui explicatio a Froelichio adhibita perſpicue repugnat, rite reſtituatur, ex ipſorum calculo Arſacidarum initia poſt annum V. C. 510. contigerunt. Euſebius, licet in Poſteriori Chronico Parthorum defectionem in anno 506. collocaverit, nihil tamen de Arſacidarum defectionis initio loquitur, ſed ſolum aſſerit Arſacem omnium primum apud Parthos regnaſſe, quod de poſteriori tempore intelligi profecto poteſt; cum praeſertim Euſebius ipſe id in Priori ſub Seleuco II., ſive poſt annum 507. conſtituerit. Denique Syncellus, quamvis Parthos ab *Antiochis*, & Antiochi aetate defeciſſe dixerit, Parthici tamen imperii initia non ſub Antiochi II., ut putabat Froelichius, ſed ſub Seleuci II. temporibus, ideoque poſt annum 507. certiſſime collocavit. Itaque, ſi ingenue, accurateque loqui velimus, unicus omnino Juſtinus ſupererit, qui Vaillantii ſententiae ſuffragetur, cum defectionem illam in anno V. C. 498. collocet; quamvis idem ille Juſtinus, qui Coſſ. nominibus annum 498. indicavit, aliis temporum characteribus, quos repente ſimul adjecit, perſpicue certoque demonſtraverit quod Arſacidarum defectio Callinici temporibus, atque poſt annum 510. contigiſſe

debuit. Quis ergo exiſtimet, ac praefidenter aſſerat ex Scriptorum veterum Graecorum, Latinorum, peregrinorum teſtimoniis probabiliorem Vaillantii, quam Corſini, ſententiam habendam eſſe; cum praeſertim ne Froelichius quidem ipſe aut Juſtini, aut Vaillantii ſententiam amplectatur?

At reponet Froelichius quod ſaltem plerique ex Scriptoribus illis Parthici regni initia ſub Antiocho II. cum Vaillantio ponunt, non vero ſub Seleuco II. cum Corſino, ideoque Scriptores illi magis ad Vaillantii, quam ad Corſini, ſententiam accedunt.

De Mircondo quidem, Moſe, & poſteriori Euſebii loco, quem Hiſtoriarum Collector, Scaliger nimirum, exſcripſit, ego fateor libenterque concedo, de ceteris autem omnibus omnino nego; cum Euſebius in Priori Canone, Strabo, Appianus, Dio, Syncellus, Agathias ipſe, ac Juſtinus, ſi rite ex Criticorum legibus explicetur, Parthici regni initia ſub Seleuco II. circa annum V. C. 510. collocaverint, ideoque propius ad Corſini, quam ad Vaillantii ſententiam accedunt; quemadmodum Froelichius ipſe, & Euſebius in Chronico propius ad Corſini, quam Vaillantii calculos accedunt; cum Vaillantius id anno V. C. 498., Euſebius, ac Froelichius anno 507., Corſinus anno 510., ſive, ſi libeat, 514. adſcribat.

Sed annus ille, reponet tandem Froelichius, qui a Scriptoribus ipſis exprimitur, quin etiam annus ipſe 510., quem Corſinus amplectitur, ab anno 525. longius aberrat, quo Parthicam aeram incepiſſe dicit Corſinus, ergo ſaltem in conſtituendo aerae Parthicae initio Corſinus a Scriptorum ſententia longius, quam Vaillantius, aberrat.

Huic poſtremo Froelichii argumento ſatis, opinor, reſponſum putabit quicumque intelligat, atque ingenue fateatur non de *regni*, ſed ſolum de *aerae* Parthicae initio controverſiam eſſe oportere. Quis aerae Parthicae initium circa annum V. C. 525. a me conſtitutum *Scriptorum veterum Graecorum, Latinorum, Peregrinorum teſtimoniis* contrarium eſſe dixerit, cum nullus omnino ex Scriptoribus illis aut aeram Parthicam

thicam memoraverit, aut de aerae Parthicae initio loquatur; ſed primos ſolum Arſacidarum motus, aut defectionem, ejuſque tempus expreſſerit? Certe, ut Froelichii argumento ex Hiſtoricis petito vis aliqua eſſe poſſet, illud neceſſario veluti perſpicuum certumque cum Froelichio ſupponi deberet quod Arſacidarum *aera* una cum *regno* incepiſſe debuerit, nec aliud regni, aliud aerae initium admitti poſſit. Sed quis praefidenter id afferat, cum Seleucidarum aera 12. poſt annos ab inſtituto Seleucidarum imperio inceperit, atque aera ab Alexandri morte ducta 12. annis ipſa morte poſterior fuerit? Quis in Arſacidis id facilius adhuc admitti poſſe non videat, cum Juſtinus nitide, diſerteque teſtetur victoriae ab Arſace partae diem veluti *ſolemnem*, *ac libertatis initium* apud Parthos haberi conſueviſſe, ideoque ſatis appareat aeram in ipſorum nummis ſimul cum victoriae ſymbolo expreſſam non a primo Regni initio, ſed a victoriae die, veriſimilius ducendam eſſe? Itaque, ſi victoria illa circa annum V. C. 525. contigiſſe debuit, ut ſuperius oſtendi, quid probabilius eſſe poteſt quam Arſacidarum aeram ab eodem illo anno ducendam eſſe? Certe Vaillantius ipſe non ea de cauſſa Parthicam aeram ab anno V. C. 498. deduxit, quod anno illo Arſacidarum imperium coepit, ſed quia Parthici regis nummum aera 480. inſcriptum reperit; cumque imperium illud in Artabano regum poſtremo anno V. C. 979. extinctum eſſe intelligeret, annorum numerum in nummo expreſſum aliter explicari non poſſe putavit, quam ſi Parthicae aerae initium ad annum V. C. 498. referretur. Quod ſi Vaillantius obſervaſſet Arſacidas Artabano extincto adhuc in Armenia imperaſſe, atque ab iis etiam nummos Parthica aera inſignes cudi potuiſſe, facile profecto non idem imperii, atque aerae initium ſtatuiſſet; ſed imperii quidem initium in anno V. C 498. Juſtini teſtimonio abreptus collocaſſet, epochae vero initium ad poſteriorem annum aliquem revocaſſet. Itaque, ut uno omnia verbo complectar, ſi de Parthici regni initio diſſeratur, omnes fere Graeci, Latinique Scriptores (quid enim exoticos, & peregrinos hic memorem?) ac praeſertim ipſorum

principes Appianus, Strabo, Dio Corſini potius, quam Vaillantii calculo ſuffragantur; ſin vero de aerae Parthicae initio controverſia ſit, quemadmodum ſane a Corſino propoſita, ac inſtituta illa fuit, nullus omnino Scriptorum veterum Graecorum, Latinorum, peregrinorum afferri poterit, qui Corſini ſententiae adverſetur; ac Juſtinus ipſe, qui omnium ſolus diem Parthis *ſolemnem*, ac *libertatis initium* memoravit, ideoque omnium ſolus aliquod aerae initium tacite indicavit, non Vaillantio, ſed Corſino potius, favere conſpicitur.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA

DVBIVM I.

ILLVD unum Parthicae aerae initio a me conſtituto facile opponi poſſe jam videram quod *Arſacis Vologeſis*, aut *Vologeſis* regis nummi cum annis 448,451,454, 460, 461, reperiuntur; ideoque, ſi Parthicae aerae cardo in anno V.C.525. collocetur, ii nummi juxta aeram hanc Parthicam a me conſtitutam ad annos V. C. 973. 976. 979. 985. 986. referendi forent; cum tamen Vologeſes III. Parthiae rex anno V. C. 966. ex Vaillantii calculo, ſive potius 968. obierit, ipſi Artabanus filius ad annum uſque 979. ſucceſſerit, nulluſque prorſus *Vologeſes* alius inter Parthiae reges ab Hiſtoricis memoretur, ſed regnum illud in Artabano regum poſtremo anno V. C. 979. deletum fuerit.

Vt huic difficultati, quam graviſſimam eſſe jam dixeram, facilius ſatisfacerem, obſervavi quod anno 969. una cum Artabano IV. Vologeſis III. filio rex alius ipſius frater in Parthia imperavit, ipſumque facile paterno *Vologeſis* nomine vocatum eſſe conjeci; ut proinde *Arſacis Vologeſis* nummos poſt annum V.C. 966. cuſos non Vologeſi III. patri, ſed Vologeſi IV. filio vel Parthiae, vel potius Armeniae regi tribuendos eſſe putaverim.

Adverſus conjecturam hanc plurima dubia proponit Froelichius [1], praeſertim vero quod Artabani frater non *Vologeſes*, aut *Arſaces Vologeſes*, ſed *Arſaces* ſolum ab Hiſtoricis appelletur; quod Armeniae reges (ſi Tigranem ſolum exceperis) ſuperbo *Regis regum* nomine donati, erectaque tiara ornati non occurrant, [2] quae tamen in duobus Vologeſis nummis epocha 451. 460. inſcriptis conſpiciuntur; ac denique quod unus Artabani frater, & Parthiae rex *utique nomen patris Vologeſis habere potuit* [3]; ſed tamen ab anno 968. Artabano ſoli ſuperatis fratribus integrum Parthiae regnum ceſſiſſe videatur, & anno ſolum 976. Artabanus ipſe Armeniam *Arſaci* fratri conceſſerit. Si

(1) *Pag.* 64. (2) *Pag.* 72. (3) *Pag.* 68.

Si ſingulis hiſce dubiis occurrere liberet, eadem fere exſcribenda nunc forent, quae in Diſſertatione jam protuli, quaeque ab Eruditis accurate legi, atque cum Froelichii dubiis comparari nunc velim. Itaque, ne actum agere videar, atque otio abutar, illud unum obſervo quod Froelichio ipſo judice unus ex Artabani fratribus, ac Parthiae regibus paternum *Vologeſis* nomen habere potuit, ideoque *Arſaces Vologeſes* appellari. Quid ergo prohibet quin frater ille, cui Armeniae regnum Artabanus anno V. C. 976. conceſſit, quamvis a Procopio *Arſaces* appelletur, unus tamen idemque fuerit, qui *Arſaces Vologeſes*, & *Vologeſes* in nummis vocatur? Certe, aut ego plurimum fallor, aut nullus omnino ex Arſacidarum gente ſolo *Arſacis* nomine, quod omnibus commune, ac praeſertim, Juſtino etiam teſte, regum omnium peculiare fuerat, vocari potuit. Hinc reges ipſi, licet communi illo *Arſacis* titulo gloriarentur, atque illum unice plerumque nummis inſcriberent, tamen ipſorum quilibet proprium, ac peculiare nomen habuit, ut ex Scriptoribus, & nummis apparet. Ergo meliori, graviorique jure cenſendum erit quod Artabani frater, qui Armeniae regnum obtinuit, licet a Procopio ſolo *Arſacis* nomine indicetur, alio tamen diſtinctoque nomine vocaretur; nihilque ſane repugnat quin ille paterno *Vologeſis* nomine donaretur: quemadmodum Vologeſes III. Vologeſis II. filius erat, & Artabanus III. Artabanum alium filium habuit. Id quidem, ingenue fateor, optimeque novi, non alio, quam conjecturae loco haberi debet; ſed aſſero tamen ejuſmodi conjecturam exinde ſolum refelli non poſſe quod is Armeniae rex a Procopio *Arſaces* appelletur; alioquin & Vologeſes alii, & Phraates, & Tiridates, & Gotarzes ex Parthiae, vel Armeniae regibus expungendi forent, qui plerumque in nummis, aut Scriptoribus non alio, quam ſolo *Arſacis*, nomine exprimuntur. Sic, ut illuſtre exemplum noſtroque ſimillimum hic proferam, Dio [1] regem illum, qui Veſpaſiani Caeſaris aetate in Parthia imperabat, non alio, quam *Arſacis*, nomine vocavit, ejuſque regis

(1) *Lib. LXVI. pag. 750.*

gis epiſtolae initium proferens ait *Rex regum Arſaces Flavio Veſpaſiano ſalutem*; & tamen ex Svetonio [1], aliiſque Scriptoribus perſpicue apparet quod rex ille *Vologeſes*, hoc eſt *Arſaces Vologeſes*, vocabatur. Quamvis ergo Artabani frater, & Armeniae rex a Procopio non alio, quam *Arſacis*, nomine deſignetur, integrum tamen ipſius nomen *Arſaces Vologeſes* eſſe potuit; & quemadmodum ſane aberraret qui Vologeſem ſub Veſpaſiano in Parthia regnaſſe ideo negaret quod Parthiae rex Veſpaſiano coaevus a Dione *Arſaces* appelletur, ita profecto fallitur qui *Vologeſem* in Armenia imperaſſe dubitat quod is Armeniae rex a Procopio *Arſaces* ſolum vocetur. Itaque nihil omnino prohibet quin nummi epocha 448.451.454 460. 461., & *Vologeſis* nomine inſignes, ideoque cuſi annis V. C. 973.976. 979. 985.986. ad Arſacem quendam Vologeſem Armeniae regem, atque Artabani Parthiae regum ultimi fratrem referantur.

Ac, ne conjecturis ſolum agere videar, ac temere prorſus *Vologeſis* nomen ei Armeniae regi affingere, qui *Arſaces* ſolum a Procopio appellatur, Dionis locum alibi a me indicatum hic iterum proferam, ut ipſius praeſidio vel oſtendi, vel ſuaderi facile poſſit Artabani fratrem *Vologeſis* nomine vocatum eſſe.

Dio coaevus, ac diligens Scriptor aſſerit quod Caracalla, dum in Oriente degeret, ad Senatum ſcripſit: *καὶ περὶ τῶν ἐν Πάρθοις βασιλευόντων, ἀδελφῶν τε ὄντων, καὶ πρὸς ἀλλήλους στασιαζόντων ὅτι ἡ τῶν ἀδελφῶν διαφορὰ μέγα τὸ κακὸν, τὸ κοινὸν τῶν Πάρθων ἐργάσηται etiam de iis, qui in Parthia regnabant, qui cum fratres eſſent, atque inter ſeſe diſſiderent, publica Parthorum res magnum detrimentum aliquod eſſet habitura*. Perſpicue certoque hinc apparet quod anno V. C. 969., dum Caracalla in Oriente foret, duo fratres in Parthia imperabant, ac ipſorum quilibet *regis* nomine donabatur, ἐν Πάρθοις βασιλεύοντες. Quin etiam duplicem hunc Regem in Parthia tunc imperantem innuere videtur Procopius, cum de Alexandri Caeſaris initio, hoc eſt de anno V. C. 976. loquens ait

(1) *In Ner. cap.* 18.

ait *καὶ τότε τις τῶν ἐν Πάρθοις βασιλέων τὸν ἀδελφὸν, τὸν αὐτοῦ Ἀρμενίοις βασιλέα κατεστήσατο Ἀρσάκην ὄνομα tunc ex Parthorum Regibus quidam Arſacem fratrem ſuum Armeniis Regem conſtituit* : perinde quaſi diceret quod unus ex fratribus Parthiae Regibus fratrem alium Armeniae Regem conſtituit. Quamvis autem Caracalla, Herodiano teſte [1], ſolo *Parthici* nominis conſequendi amore de Parthico bello cogitaret, aliquam tamen gerendi belli cauſſam praetexuit, atque, ut Dionis [2] verbis utar, *ἐστρατεύσαντι αὐτῷ κατὰ τῶν Πάρθων πρόφασις τοῦ πολέμου ἦν ὅτι Οὐολόγασος τότε Τιριδάτην, καὶ Ἀντιοχόν τινα ἐξαιτήσαντι αὐτῷ οὐκ ἐξέδωκεν ipſi adverſus Parthos bellum inferenti ea belli cauſſa praetendebatur, quod Vologeſes Tiridatem, & Antiochum quendam ſibi poſtulanti non dediſſet*. Quum vero Parthus utrumque Caracallae tradidiſſet [3], *ἀφῆκε τὴν στρατείαν ἐν τῷ παραυτίκα ſtatim a bello deſtitit*, atque in Armenios Theocritum miſit. Ubi vero nefariam Caracallae ſaevitiem adverſus Alexandrinos Dio narraſſet, repente ſubdit [4] *μετὰ ταῦτα ἐς τοὺς Πάρθους στρατεύσας πρόφασιν ὅτι οὐκ ἠθέλησεν αὐτῷ ὁ Ἀρτάβανος θυγατέρα μνηστευσαμένῳ συνοικίσαι poſt haec exercitum duxit in Parthos eo praetextu quod Artabanus ei filiam, quam ambiverat, uxorem dare nollet*.

Poſterior hic Dionis locus oſtendit quod anno V.C 969. alter ex duobus fratribus, qui in Parthia regnabant, *Artabani* nomine vocabatur; de alterius vero fratris, ac Parthiae Regis nomine differens ingenue modeſteque dixeram quod ex ejuſmodi Dionis hiſtoria perſpicue, certoque deprehendi non poteſt an Caracalla adverſus alterum ſolum ex Parthiae Regibus, an vero potius adverſus utrumque variis de cauſſis bellum decreverit; an Vologeſes ille, qui defectores reddere detrectaverat, Artabani *pater*, vel potius *frater* eſſet, ſed is tamen facile *Vologeſis* nomine vocari poterit, cum praeſertim Herodianus [5] eum Parthorum Regem, qui a Severo impetitus fuit, atque a Dione *Vologeſes* vocatur, *Artabanum* appellaverit: quod fortaſſe nimirum Herodianus utriuſque nominis Reges ſimul in Parthia regnaſſe conſpiceret, ideoque facile

cile

(1) *Libr. IV.*
(2) *Libr. LXXVII. pag. 878.*
(3) *Libr. LXXVII. p. 879.*
(4) *Libr. LXXVII. p. 881.*
(5) *Libr. IV.*

cile duos fratres illos ad Severi tempora revocaverit, qui proximis ſolum Caracallae temporibus imperarunt.

Nunc vero perſpicua rerum ſerie, atque integro Dionis contextu accuratius explorato longe veriſimilius exiſtimo quod Tiridates ille, & Antiochus non ab alio Vologeſe, quam Artabani fratre, repetitus fuit, ideoque quod alter ille Parthiae Rex, & Artabani frater non alio, quam *Vologeſis*, nomine vocatus erat.

Siquidem ex Dione apparet quod Caracalla, dum in Oriente moraretur, ac fratres Parthiae Reges inter ſeſe diſcordes eſſe conſpiceret, aliquas belli cauſſas, ſive praetextus excogitavit, quibus utrumque ſubigeret; ideoque primo Tiridatem, & Antiochum, qui ad Parthos confugerant, ab uno Parthiae rege poſtulavit, iiſque negatis ei Partho bellum intulit. Ergo Caracalla transfugas illos non ante quam in Orientem appelleret, poſtulavit; ideoque Vologeſes ille, a quo Caracalla transfugas petiit, & cui, negatis ſibi transfugis, ille bellum intulit, eodem anno V. C. *969.* in Parthia imperabat. Vaillantius quidem transfugas illos ante annum V. C. *966.* a Vologeſe III. Artabani patre repetitos eſſe putavit, ſed nullo tamen veterum teſtimonio probavit, cum extremis Vologeſis III. temporibus Caracalla in Germania, & in Thracia foret; nec Caracalla, qui belli adverſus filium gerendi cauſſam quaerebat, repulſam ſibi a Vologeſe III. ejus patre datam filio objeciſſet, ſed ſaltem transfugas ipſos a filio poſtulaſſet. Accedit etiam quod Dio unico eodemque contextu memorat transfugas a Vologeſe negatos, bellum proinde Partho a Caracalla indictum, transfugas a Partho belli metu perterrito reſtitutos, ideoque bellum pace diremptum. Ergo nativa rerum ſeries hic poſtulat ut transfugae ab eodem illo Parthiae Rege Caracallae redditi ſint, a quo repetiti fuerant; adeoque, ſi certe a *Vologeſe* petiti illi ſunt, a Vologeſe quoque redditi cenſeri debent: ut proinde Parthiae Rex, qui transfugas Caracallae reddidit, ac in Parthia anno V. C. *969*. regnavit, non alio, quam *Vologeſis* nomine, deſignetur. Illud etiam apparet quod Caracalla, dum in Orien-

te degeret, adverſus utrumque Parthiae Regem bellum inſtruxit, cumque primum Vologeſem tentaſſet, mox Artabanum vexavit. Certe, ſi compoſitis cum fratrum uno rebus, mox alio novoque praetextu pacem cum eodem illo violaſſet, Dio, qui Caracallae perfidiam accurate deſcripſit, atque ab illo tum Abgarum Oſrhoenes, tum Vologeſem Armeniae Regem inſigni fraude deceptum memoravit, id etiam facile de Artabano dixiſſet, ſi Caracalla adverſus Artabanum ſolum prius Tiridatis repetiti cauſſa, mox violato pacis foedere negatae filiae praetextu moviſſet.

Itaque longe veriſimilius apparet quod Caracalla adverſum utrumque ex fratribus illis bellum inſtruxit, qui anno V. C. 969. in Parthia regnabant, atque ipſorum unus *Artabani*, alter *Vologeſis* nomine vocabatur; cumque, Procopio teſte, *unus ex Parthiae Regibus* anno V.C. 976. fratrem ſuum Armeniae Regem conſtituerit, atque Artabanus ipſe ſemper in Parthia uſque ad annum 979. imperaverit, frater ille, qui novus Armeniae Rex conſtitutus fuit, non alius eſſe potuit, quam *Vologeſes*, qui uſque ad annum 976. cum fratre in Parthia, moxque in Armeniae Regno, quo fratris opera potitus erat, imperavit, ibique Arſacidas Artabani filios anno 979. recepit, quum Artabanus ab Artaxerſe Perſa regno vitaque privatus foret.

In hac hypotheſi perſpicue apparet quod omnes fere nummi, qui *Vologeſis* nomen praeſeferunt, poſt annum 976. cuſi ſunt, poſtquam Arſaces Vologeſes Armeniae regnum obtinuerat; ideoque non ad Parthiam, ſed ad Armeniam, referri debent; cum ipſorum ſecundus epocha 451. inſignis in annum ipſum V. C. 976. incidat, quo Vologeſes Armeniae regno potitus fuit; unicuſque nummus epocha 448. inſignis, ideoque ad annum V. C. 973. referendus a Vologeſe adhuc in aliqua Parthiae Provincia poſt annum 968. regnante cuſus fuerit. Quo certe loco Froelichius [1] perſpicue fallitur, ſibique non conſtat, cum aſſerit *Arſacem*, hoc eſt Vologeſem hunc IV., *jam anno 942. circiter de regno Parthico cum Artabano*

(1) *Pag.* 85.

no fratre contendiſſe; cum eo quidem anno circiter Vologeſis III. regnum inceperit, fraternae vero diſcordiae inter Artabanum, & Arſacem nonniſi Vologeſe III. defuncto circa annum 968. inceperint, ut optime Froelichius ipſe [1] alibi expoſuit.

Fruſtra vero opponet Froelichius quod in nummis illis *Regis Regum* titulus, ac tiara obſervatur, quae a Parthiae ſolum, non ab Armeniae regibus (ſi Tigranem exceperis) uſurpata memoratur. Nihil enim veriſimilius eſſe poteſt, quam alios etiam Armeniae reges Tigranis inſtar haec inſignia aliquando uſurpaſſe; ſicuti viciſſim in tribus Tigranis nummis [2] vox *βασιλέων regum* omittitur, quod aliquando in ipſis etiam Parthiae regum nummis factum conſpicitur. Quod ſi *regis regum* titulus nummis inſcriptus indicio eſſe poſſet nummos illos ad ſolos Parthiae reges referendos eſſe, exinde quoque perſpicuum foret quod nummus cum aera 460., ac *Vologeſis* nomine, non ad Parthiae, ſed ad Armeniae Regem, referendus eſſet, cum in illo vox *regum* omiſſa ſit. Denique, ſi Pharnaces in nummis [3] ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΛΟΥ *regis regum magni* titulum uſurpavit, cur Armeniae reges Arſacidae hoc interdum titulo efferri non potuerunt? Ergo, ne plura proſequar, cum anno V. C. 976. *Arſaces* Armeniae regnum ſuſceperit, idemque facile eſſe potuerit, qui Parthiae partem adeptus paternum Vologeſis nomen, Froelichio ipſo judice, habere potuit; cum in nummis *Arſaces Vologeſes* legatur, ac nummi quidam poſt initum Armeniae regnum annis 976. 979., & alii poſt extinctum Parthiae regnum ſoloque in Arſacidis Armeniae regno ſuperſtite, annis 985. 986. cuſi ſint, nullus, opinor, dubitandi locus ſupererit quin ipſorum ſinguli ad *Arſacem Vologeſem* Armeniae regem referri poſſint, ideoque aera iis inſcripta ab anno V. C. 525. exordiri poſſit; ad quam etiam nummos illos referendos eſſe jam dixi, quibus aera 491, & 508. inſcripta conſpicitur, quos, Cl. Froelichii pace, nemo ſane poſt argumenta plurima a me prolata

(1) *Pag. 66.* (2) *Geſn. Reg. Syr. Tab. VII.*
(3) *Geſn. Tab. III. num. 2. & IV. num. 24. & 25.*

ad Artaxerſem, & Saporem, barbaros Perſidis reges, & ab Arſacidarum nomine, & ſtemmate prorſus alienos revocaverit.

Denique diluendis Froelichii dubiis conferre plurimum poterit ſi obſervetur quod ipſe quoque dubiis iiſdem premi, urgerique deberet. Ille nimirum exiſtimat, atque ex Chronologica ſerie, quam exhibuit, fateri debet quod nummi, in quibus aera 474. 480. reperitur, ad Artabanum IV. Parthiae Regem ſpectarent; ideoque concedere neceſſario debet quod aera Parthica anno V. C. 498. inceperit, ut 480. annus in illa numeratus anno V. C. 979. poſterior eſſe non poſſit, quo poſtremus Parthiae Rex Artabanus IV. ab Artaxerſe Perſa regno, vitaque ſpoliatus fuit. Qui ergo fieri poterit, ut Froelichio Euſebii calculus maxime arrideat, qui Parthicae defectionis initium expreſſa Olympiade, & Olympiadis annum in anno V. C. 506. collocavit? Certe in Euſebii calculo, vel in ea hypotheſi, in quam Froelichius inclinat, nummus epocha 480. inſignis neque ad Artabanum Parthiae Regem, qui jam obierat, neque ad Artaxerſem Perſidis Regem referri poteſt ob inſignem vultus varietatem ſi cum alio confeXratur, in quo aera 491. notata conſpicitur; adeoque nummus ille nonniſi ad aliquem Armeniae Regem ſpectare debet. Ita quoque perſpicue certoque ex eodem Euſebii calculo, vel Froelichii ſententia ad Vologeſem aliquem Parthiae Regem a Vologeſe III. diſtinctum nummus ille referendus erit, qui in ditiſſimo Regis Chriſtianiſſimi Muſeo reperitur, cujus notitiam ab humaniſſimo D. Barthelemy nunc accepi. In antica ejus nummi parte Vologeſis caput tiara tectum conſpicitur, ipſique proximus character B. In averſa vero Vologeſes ipſe ſedens exhibetur, cui puella ſtans coronam porrigit cum epigraphe ΒΑϹΙΛΕωϹ ΒΑϹΙΛΕωΝ ΑΡϹΑΚΟΥ ΒΟΛΑΓΑϹΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥϹ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟϹ, in area ΔΞΥ, in imo ΑΠΕΛλαιȣ. Quis hic aperte non videat quod, ſi nummus ille ad Vologeſem III. Parthiae Regem referatur, & Parthicae aerae initium in anno V.C. 506. vel 507. cum Euſebio, & Froelichio collocetur, nummus ipſe anno V. C. 971. cuſus fuiſſet,

fuiſſet, triennio nimirum poſt ejus Vologeſis mortem, qui fatente Froelichio ipſo anno V. C. 968. vitam ac Parthiae regnum amiſit? Itaque, ut inſignis hic error, & inconſtantia vitetur, Froelichius ipſe Euſebii veſtigiis inhaerens neceſſario fateri debet quod nummus ille ad Vologeſem alium ordine IV. referri debeat, qui anno V. C. 971. poſt patris mortem una cum Artabano fratre in Parthia, ſive in Armenia imperaverit. Si ergo nummus ille aera 464. & 480. notatus in ipſa quoque Froelichii ſententia alicui Armeniae Regi adſcribi debet, cur etiam priores alii ipſi ſimiles, ac aera 448. 451. 454. 460. 461. inſignes ad Armeniae Regem referri non poterunt, ſed Vologeſi III. Parthiae Regi tribuendi cenſebuntur? Alterutrum ergo concedat Froelichius oportet, aut quod nummi 448. 451. 454. 460. 461. 464. epocha inſignes non ad Parthiae, ſed ad Armeniae Regem ſpectare debent, aut quod Euſebius, cujus auctoritati plurimum tribuit Froelichius, in definiendo Parthici regni initio aberravit, aut quod ille Parthicae quidem defectionis, non vero imperii ab Arſacidis inſtituti tempus expreſſit, aut quod initi quidem ab Arſacidis imperii, non tamen epochae ab iis inſtitutae cardinem indicavit, aut certe quod ex Vologeſis nummis hactenus memoratis nihil omnino contra novam Arſacidarum aeram a me conſtitutam inferri poteſt.

DVBIVM II, ET III.

NIhil eſt autem cur iterum de nummis illis hic loquar, qui aeram 491. & 508. praeſeferunt. Illos *Artaxerſi*, ejuſque filio *Sapori* Perſidis regibus tribuendos eſſe poſt Vaillantium Froelichius [1] adhuc exiſtimat; quamvis ego pluribus, ac, niſi plurimum fallor, melioribus argumentis oſtenderim ipſos ſolis *Arſacidis* Armeniae regibus adſcribi poſſe, nihilque prorſus dubiis a Froelichio propoſitis ab hac ſententia dimovear.

Praecipuum Froelichii [2] argumentum eſt quod anno V. C.

(1) *Pag.* 73. (2) *Pag* 85.

V. C. 1016, & 1033., quo cuſi illi forent, ſi Parthicae aerae initium in anno V. C. 525. collocetur, *nemo Arſaces nomine Armeniae Rex fuiſſe ab ullo Scriptore vetere proditur; Sed anno V. C. 1016. aut Artavaſdes, aut certe Tiridates Armeniae praefuit;* [1] *anno V. C. 1033. Armeniae Rex aut Artavaſdes V. fuit, aut filius ejus anonymus: certe Arſacem nomine fuiſſe non conſtat*.

At obſervare facile poterit Froelichius quod ipſius opinio eodem ipſo argumento gravius urgetur; cum iis temporibus Arſacidarum familia, ac imperium in Parthia, ac Perſide prorſus deletum foret, ac nemo prorſus Perſidis Rex iis annis *Arſacis* nomine occurrat; ſed anno aerae Parthicae 491. *Artaxerſes*, anno 508. *Sapor* in Parthia, vel Perſide imperaverit. Quemadmodum ergo nummos illos Froelichius [2] *Artaxerſi*, & *Sapori* Perſidis regibus adſcribi poſſe contendit, quia Reges illi *politica fictione* non proprium, ſed adſcititium *Arſacis* nomen velut Parthis dilectum uſurparunt, quis non intelligat id facilius de Armeniae Regibus dicendum eſſe, qui cum *Arſacidae* vere forent, & *Arſaces Tiridates*, vel *Arſaces Artavaſdes* vocarentur, ſolo communique *Arſacis* nomine nummos ſignarunt? Accedit etiam quod, ſi Froelichii ratio admittatur, certi quoque, ac indubii Parthici nummi Parthicis regibus negandi forent. Cum enim in iis ſolum *Arſacis* nomen occurrat, reponere cum Froelichio quis poſſet quod iis annis, quibus cuſi illi ſunt, in Parthia non *Arſaces*, ſed *Mithridates*, *Phraates* &c. imperabant. Ergo eadem ipſa ratione, qua nummi illi, quacumque ſerie diſponantur, Parthiae Regibus tribuendi ſunt, quamvis in illis non proprium, ſed commune *Arſacis* nomen occurrat, ita quoque poſteriores hi nummi vel Tiridati, vel Artavaſdi, vel ejus filio adſcribi poterunt, quamvis non haec propria illorum nomina, ſed ſolum *Arſacis*, commune ſcilicet ipſorum nomen, habeatur.

Quod vero duorum ejuſmodi Regum ornatus a Tigranis, adeoque Armeniae Regum, ornatu diſſideat, ut reſponſiones alias diſſimulem, ex eodem ipſo Froelichio refelli poteſt,

(1) *Pag.* 87. (2) *Pag.* 84.

poteſt, qui Xerſem Armeniae Regibus accenſendum eſſe putavit, quamvis in ipſius nummo Cl. Froelichii diligentia nunc primum edito ornatus a Tigranis ornatu mire diſſideat, quemadmodum in Artaxerſis, & Saporis nummo, capitiſque ornatu varietas obſervatur, & tamen Froelichius utrumque ad Perſidis Reges revocavit. Ergo, ne Froelichius ſecum ipſe pugnare velit, iiſdemque prorſus dubiis urgeri, quae adverſum me propoſuit, neceſſario fateri debet nummos epocha 491. 508. inſignes multo veriſimilius Armeniae, quam Perſidis, Regibus tribuendos eſſe; eodemque jure fateri quod ceteri nummi, in quibus Aera 451.454.460.461.464.474.480. reperitur, ad eos Arſacidas referri facile poſſunt, qui extincto Parthiae regno in Armenia imperarunt, & Arſacidarum epocham nummis ſuis inſcripſerunt.

Illud etiam poſtremo loco opponit Froelichius [1] quod anno Aerae Parthicae a me conſtitutae 508. nimirum V. C. 1033. *Rex Armeniae ſe Regem Regum compellare* non poterat *eo tempore, quo ipſe Perſarum, & Parthorum Rex Varanes II. advenientis Romani exercitus metu perculſus a Probo Auguſto pacem iterato petitam vix impetravit*.

Facile tamen hoc argumentum dirimi, ſive dubium ex Froelichii animo eximi poterit, ſi accurata temporum ſeries, rerumque geſtarum hiſtoria obſervetur. Ac initio quidem ex hiſtoria [2] apparet quod Probi adventus in Orientem, ejuſque victoria de Blemmiis parta, adeoque metus Perſis incuſſus non ad annum 1033., ſed praecedentem, V. C. 1032. referri debet, quo quartus Probi Caeſaris annus in imperio agebatur; proximoque anno, cum Caeſar res in Oriente, Vopiſco teſte, mire pacatas reliquiſſet, in Thraciam veniens Baſtarnis petentibus terras in Romana ditione incolendas conceſſit. Itaque anno V. C. 1033., quo nummus cuſus fuit, neque Perſarum, neque Armeniae Rex ullo metu prohiberi potuit, ne titulos uſitatos nummis inſcriberet, cum omni Romanorum metu, inita jam cum Perſis ipſis pace, ſoluti forent. Deinde vero, licet etiam illa, quae a Probo in Oriente

te

(1) *Pag.* 88. (2) *Murat. Annal. Ital. ſive Chr.* 279.

te geſta memorantur, ad annum V. C. 1033. ſpectarent, nullus tamen Armenis metus a Probo Caeſare incuſſus fuit, nihilque prorſus adverſus illos ab Auguſto vel geſtum, vel tentatum memoratur; quamvis Vopiſcus accurate Gentes illas enumeret, quibus aut clades, aut damnum, aut timor a Probo Caeſare illatus fuit; ut proinde facile tunc Armeni, ſicuti Perſis infenſi, ita viciſſim Romanis amici fuiſſe videantur. Certe, ſi felicem Petavii conjecturam ſequamur, & id, quod in Syneſio [1] de *Carino* dicitur, ad *Probum* referatur, Probus Auguſtus Perſis iratus adverſus illos movens per Armeniam veluti ſibi amicam exercitum duxit, quemadmodum prorſus Alexander Severus bellum Parthis anno V. C. 986. illaturus per Armeniam ipſam Romanis amicam exercitum traduxit [2]. Itaque Armeniae Rex nihil a Probo Caeſare veritus facile nummis ſuis uſitatos Armeniae regum titulos inſculpere profecto potuit: ubi praeſertim nummus ille exeunte jam anno V. C. 1033. cuſus dicatur, poſtquam nimirum Probus Auguſtus ex Oriente in Thraciam appulerat. Ergo ne Chronologica quidem dubia, quae Froelichius objecit, Parthicae aerae a me conſtitutae, totque indiciis, & characteribus aliis firmatae, ac illuſtratae adverſari poſſunt.

Quid vero ſi ex eodem ipſo Froelichii dubio, ac hypotheſi eandem aeram a me conſtitutam confirmari poſſe quis dicat? Aſſerit Froelichius Armeniae Reges anno V. C. 1033. vix ac ne vix quidem ſuperbum *Regis Regum* nomen uſurpare, ac nummis inſcribere potuiſſe, dum ipſi quoque Perſae Probi Auguſti victoriis exterriti pacem ab illo demiſſe, oblatiſque donis poſtularunt. Ergo nummus ille, in quo ne ſimplex quidem regis titulus, ſed purum *Arſacis* nomen reperitur, ex hac Froelichii hypotheſi, non alteri veriſimilius tempori adſcribi poterit, quam anno V.C. 1033., quo juxta Froelichii calculum Perſis, & Armenis Probus Auguſtus gravem adeo metum incuſſerat; cum praeſertim ab anno V. C. 994., quo Sapor Perſarum regnum ſuſceperat, uſque ad ann. 1025., quo interiit, nullo bello, nulloque metu a Romanis vexatus fuerit,

(1) *De Regno*. (2) *Herodian. libr. VI. cap. 5.*

rit, ſed ubique victor Valerianum ipſum Auguſtum captivum habuerit. Itaque, cum in nummo apud Theupolum [1] legatur ΑΡΣΑΚ. Η. Φ. ideoque anno aerae Parthicae 508. cuſus ille ſit, perſpicuum fiet quod, ſi initium aerae Parthicae in anno V. C. 498. cum Vaillantio, aut 506. cum Froelichio collocetur, nummus ille ad annum V. C. 1006., vel 1014. referendus eſſet, quo tempore vel Armenii, vel Perſae nullo Romanorum metu prohibebantur quin veteres in nummis titulos uſurparent. Quandoquidem vero eodem ipſo anno aerae Parthicae 508. nummus alter a Froelichio [2] quoque relatus cuſus fuit cum multiplici diademate, & candy ad humeros deſcendente, ſuperboque titulo *regis regum magni Arſacis*, conjicere quis poterit ſuperiorem quidem, modeſtumque nummum eo anni tempore ſignatum fuiſſe, quo Probus adhuc in Oriente morabatur, ac Parthis, ſive Armenis infenſus erat; alterum vero conſuetis titulis, ac ornatu ſuperbientem vel ante Probi adventum, vel poſt pacem ab illo Perſis conceſſam, vel poſt ipſius diſceſſum cuſum fuiſſe; ideoque ex hoc inſigni nummorum diſcrimine, ac varietate, quamvis uterque eodem anno percuſſus ſit, in ipſa praeſertim Froelichii hypotheſi inferri deberet Parthicam aeram non alio veriſimilius, quam V. C. 525., anno incepiſſe.

DVBIVM IV.

AB Arſacidis, & ab ipſorum Epocha ad *Xerſem* Armeniae, & ad *Samum* incognitae Provinciae regem digreditur Froelichius, cujus antea nummum *Arſamis*, ut videbatur, nomine inſignem vulgavit, moxque a Clar. Bozio monitus duos nummos alios *Sami* nomine inſcriptos edidit.

Ac de Xerſe quidem candide, modeſteque teſtatur [3] ſe a vero Polybii ſenſu aberraſſe, adeoque ſe merito a me correctum fuiſſe quod Polybii verba mox proferenda de celebri illo Xerſe rege intellexerit, qui circa annum V. C. 274. in Perſide imperavit. Viciſſim tamen errorem alium

(1) *Pag.* 1222. (2) *Pag.* 83. (3) *Pag.* 92.

a me *forte errore calami* (ſic enim ille humaniſſime loquitur) admiſſum aſſerit cum ex eodem illo Polybii loco deduxi [1], quod ,, *Antiochus ille , qui Antiochidem ſororem ſuam Ariarathi Cappadociae regi deſponderat , & ſororem aliam , quae fortaſſe Eumeni regi deſtinata fuerat , Xerſi Armeniae regi conceſſit , non alius profecto fuit , quam Antiochus cognomento Magnus , qui in Syria ab anno V. C.* 530. *ad annum uſque* 566. *regnavit* . Etenim Froelichius [2] perſpicuum certumque exiſtimat *Antiochum Syriae regem , qui Xerſem iſtum benigne ſuſcepit , quique ſorores duas praedictis regibus deſponſatas habuerit , non fuiſſe Antiochum Magnum , ſed Antiochum Epiphanem , qui ab anno V. C.* 577., *vel* 578. *annis deinde integris undecim regnavit* .

Vt autem id clarius , & accuratius oſtenderet , integrum Polybii , ac Diodori locum Froelichius exhibuit . Ac Diodorus quidem de Cappadociae regibus differens ait [3] : *Ariarathes duxit in matrimonium filiam Antiochi cognomento Magni nomine Antiochidem ; haec aliquanto poſt tempore peperit filium nomine Mithridatem , hunc adultum Ariarathem ajunt cognominatum* . Polybius vero juxta verſionem a Froelichio uſurpatam de Antiocho quodam Syriae rege loquens ait [4] : *Regnante Xerſe ſuper Armoſata urbe , quae ſita eſt ad campum pulchrum dictum , in medio inter Tigrim , & Euphratem , ei urbi arma admovens Antiochus Rex , eandem obſidere paravit . Apparatum Regis contemplatus Xerſes , primo quidem in fugam ſe dedit ; paullo poſt vero metuens ne , capta ab hoſtibus regia ſua , reliquum etiam regni ſui peſſum iret ; conſilium mutavit , miſitque ad Antiochum , profeſſus velle ſe ad colloquium venire . Itaque fidi* (Antiocho Regi) *amici ſuggeſſere non eſſe dimittendum adoleſcentem , quem in poteſtate haberent : ſed ſuaſere* (Antiocho) *ut occupata urbe* (Armoſata) *provinciam illam traderet Mithridati , qui erat filius ſororis ipſius* (Antiochi) *ſecundum naturam . Sed Rex eos non audiit ; verum accerſens adoleſcentem , inimicitiam diſſolvit , remiſitque eidem maximam partem reliquorum veterum tributorum , quae pater ipſius perſolvere debuiſſet : porro acceptis illico trecentis talentis , & mille equis , totidem*

(1) *Pag.*60. (2) *Pag.*94. (3) *Libr.* XXXI. (4) *De Virt. & Vit. p.*1380.

dem mulis, cum congruo inſtrumento (reddendum *cum apparatu*) *omnia, quae ad eum principatum pertinerent, ordinavit, collocataque ipſi* (Xerſi) *ſorore ſua Antiochide, omnes eorum locorum incolas in ſui amorem pertraxit, quippe qui magno, atque regio animo in his uſus eſſe videretur.*

Ex duobus ejuſmodi Polybii, ac Diodori locis invicem collatis errorem, quem mihi excidiſſe dixerat, manifeſtum adeo, certumque putavit Froelichius, ut ſententiam hanc ſuam geometricae demonſtrationis inſtar habendam eſſe judicaverit. Ait enim [1]: *Diodorus Ariarathem V. Cappadociae regem perhibet duxiſſe uxorem Antiochidem filiam Magni dicti Antiochi, atque ex ea paullo ſerius filium Mithridatem genitum fuiſſe commemorat. Porro Mithridatis iſtius matrem Polybius, laudato loco, ejus Antiochi ſororem teſtatur fuiſſe ſecundum naturam, qui Xerſem Armoſatae regem benigne habuit: fuit vero Antiochi III. magni filius Antiochus IV., uti nemo ignorat; & filia itidem Antiochi III. magni fuit mater Mithridatis ex Diodoro, ergo is Antiochus, cujus ſoror erat mater Mithridatis, fuit Antiochus IV.: quod erat demonſtrandum.*

Ego vero ingenue quidem honeſteque fateor quod in ea hiſtoriae parte, quae ad Ariarathis, & Eumenis uxores attinet, atque obiter indicata a me fuerat, perſpicue, certoque aberravi, cum ſponſae illae Antiochi Magni non *ſorores*, ſed *filiae* dicendae forent, ut in Appiano a me laudato jam videram, & ibi quoque tacite indicaveram ubi perſpicuo Appiani teſtimonio fretus Antiochi filiam Ariarathi nupſiſſe dixi [2], *poſtquam Annibal ad Antiochum confugerat, iſque bellum adverſus Romanos meditabatur*, quae ſane verba non de alio, quam Antiocho *Magno* intelligi poterant, qui fere ſexagenarius [3] anno V. C. 560. filias nuptui collocavit; ideoque Antiochis illa, quae Ariarathi tunc nupta, & altera quoque, quae Eumeni oblata fuit, Antiochi Magni *filia*, non *ſoror* dicenda a me fuerat. In altera tamen, & quidem praecipua, hiſtoriae parte, in qua Xerſis Armeniae regis aetatem definire volens, dixeram quod Antiochis Xerſi Armeniae regi conceſſa Antiochi

 chi

(1) *Pag.* 94. (2) *Pag.* 59. (3) *Appian. Syriac. pag.* 96.

chi Magni *ſoror* fuit, quod Xerſes ille ab Antiocho Magno benigne habitus fuit, quod Xerſes ipſe in Armenia circa annum V. C. 560. imperavit, niſi mea me fallit opinio, nullus error irrepſit, nihilque prorſus oppoſita Cl. Froelichii demonſtratione dimoveor.

Ac certe quidem univerſa Froelichii vis in illo poſita reperitur quod cum Ariarathes Cappadociae rex ex Diodoro Mithridatem filium ex Antiochide Antiochi Magni filia ſuſceperit, *Mithridatis* ISTIVS *matrem Polybius ejus Antiochi ſororem teſtatur fuiſſe ſecundum naturam, qui Xerſem Armoſatae regem benigne habuit*; ideoque Froelichius ambiguo Mithridatis nomine plane deceptus Polybium, ac Diodorum de uno eodemque *Mithridate* loquutos eſſe ſupponit, qui ex Ariarathe, & Antiochide Antiochi Magni filia genitus fuerit. Itaque, ſi oſtendi a me poſſit quod Mithridates a Polybio memoratus ab eo Mithridate Ariarathis filio diſtingui debet, quem Diodorus expreſſit, ſimulque demonſtretur quod Xerſis hiſtoria ex Polybio non ad Antiochi *Epiphanis*, ſed ad Antiochi *Magni* tempora referri debet, ſeverior illa Froelichii demonſtratio evaneſcet, certoque inferri jam poterit (id quod unice, ſive praecipue contenderam) Antiochidem Xerſi traditam Antiochi Magni *ſororem* fuiſſe, & Xerſem ipſum circa annum V. C. 560., non 588., ut opinatur Froelichius, in Armenia, hoc eſt in aliqua Armeniae parte, imperaſſe. Age vero jam ſingulos temporum characteres a Polybio expreſſos perpendamus, meamque hypotheſim cum Froelichii hypotheſi conferamus, ut inde facile deprehendi poſſit an Cl. Viri ſententia confidenter adeo propoſita geometricae demonſtrationis inſtar habenda ſit, aut potius eo paralogiſmi, vel fallaciae vitio laboret, quod a Dialecticorum filiis *falſae ſuppoſitionis* error vocatur.

Ac initio quidem obſervari plurimum debet quod Polybius in IV. Hiſtoriarum Libro [1] initum ab Ariarathe adhuc puero Cappadociae regnum teſtatur paucis poſt annis quam Antiochus Magnus & ipſe adoleſcens Syriae regnum ſuſceperat. Libro V. [2] Antiochi nuptias cum Laodice Mithridatis Cap-

(1) *Pag.* 377. (2) *Pag.* 540. 597. 620.

Cappadociae Regis filia, ejuſque expeditionem ſuperato Tauro monte, qui Armeniam a Meſopotamia dividit, adverſus Achaeum memorat. In VIII. Hiſtoriarum Libro Xerſis Regis hiſtoria ſuperius expoſita continetur, quemadmodum in IX. foedus ab Annibale cum Philippo initum memoratur [1]. Polybius ipſe in X.[2] Antiochi M. expeditionem in Artabanum Parthiae Regem, atque XI.[3] foedus poſt diuturnum bellum cum Euthydemo in Bactria rebelli initum deſcribit; tandemque Libro XXXI.[4] ea memorat, quae ab Antiocho Epiphane Antiochi Magni filio poſtremi itineris ſui tempore, quo Xerſis hiſtoriam contigiſſe putat Froelichius, geſta ſunt, ejuſque mortem recenſet. Ejuſmodi vero perſpicua, ſibique conſtans rerum a Polybio deſcriptarum ſeries manifeſtiſſime oſtendit quod a Polybio res ubique geſtae ſervato temporis ordine deſcribuntur. Etenim Antiochus M. anno V. C. 531., Ariarathes anno 535. regnum ſuſcepit, cum facile Antiochi M. nuptiae anno 532. contigiſſent. Antiochus contra Achaeum proximo ante *A. Terentium, & L. Aemilium Conſules* anno, Polybio [5] teſte, ideoque anno V. C. 537. movit, ac foedus ab Annibale cum Philippo anno 539. ſancitum fuit. Antiochi cum Euthydemo diſſidia circa annum V. C. 546. inceperunt, cum ante quinquennium, hoc eſt anno 541. Antiochi concordia cum Artabano fortaſſe ſancita foret, ut junctis viribus uterque cum Euthydemo dimicarent [6]. Itaque, ſi Polybius ubique res geſtas ſervato temporis ordine deſcribere conſuevit, diſerteque teſtatur [7] ſe *ſingulis annis res omnes geſtas conjunctim ſcribere ſolere*, lectoreſque monet ne mirentur quod in ſolis Aegypti rebus deſcribendis ab ejuſmodi more receſſerit, quis non intelligat Xerſis hiſtoriam, quae poſt expeditionem adverſus Achaeum ſuſceptam, & ante foedus ab Annibale initum a Polybio deſcribitur, tantoque Librorum, ideoque temporis intervallo ab Antiochi Epiphanis rebus, atque aetate diſſidet, circa annum V. C. 538., quo praecipuae res ab Annibale geſtae contigerunt, collocandam, ideoque ad

(1) *Pag.* 1381. (2) *Eclog.* 24. *p.* 831. (3) *P.* 906. (4) *P.* 1453. (5) *Lib. V. p.* 621. (6) *Vid. Juſtin. L. XLI. c.* 5. (7) *Pag.* 1403.

ad prima Antiochi Magni tempora referendam eſſe? Certe in hac hypotheſi, quae perſpicuis adeo Polybii teſtimoniis innititur, Antiochus dum expeditionem adverſus Achaeum ſuſcepiſſet, Arſamoſata Xerſis regiam anno V. C. 537. obſedit; eique regi *ſororem*, non *filiam*, quam nullam adhuc nubilem habere poterat, conceſſit; quemadmodum anno V. C. 546. inita jam cum Euthydemo pace Demetrio ejus filio unam ex filiabus ſe nuptui daturum promiſit [1].

Ex ipſo quoque Polybii contextu, ſi cum Hiſtoricis aliis conferatur, manifeſte apparet quod Xerſes in Arſamoſatorum regno ante annum V. C. 557. imperabat. Etenim ex Polybii loco perſpicue colligitur quod Xerſes, ejuſque etiam pater Arſamoſata regno juſte legitimeque, annuentibus Syriae regibus, potiti fuerant; ideoque Xerſes neque Syriae regibus rebellis, neque ex rebelli patre genitus fuit. Certe Xerſes ad Antiochum ipſum ſponte confugit, quod de rebelle facile concipi, ſive ſupponi non poteſt; dicitur ipſum *ἔχθρὰν inimicitiam* ſolum adverſus Antiochum contraxiſſe; ejuſque patrem tributa Syriae regibus pendere conſueviſſe: quae ſane de amicis quidem, foederatis, minoribus, aut ſubditis regibus, at non de rebellibus tamen ſupponi poſſunt. Itaque Xerſes ante annum V. C. 557. in Armeniae majoris urbe imperabat, quo Artaxias, & Zadriades Syriae regibus rebelles Armeniam ex Syriae regum imperio ſubtraxerunt [2]. Hinc plane non video quî Froelichius Xerſem Zadriadis filium, aut ſucceſſorem fuiſſe conjecerit; ſiquidem in hac hypotheſi neque Xerſes *Arſamoſatae urbis*, ſed Artaxiae, & Zadriadis inſtar *Armeniae* rex appellatus eſſet; neque perduellionis reus ad Antiochum confugiſſet, neque Antiochus ipſe *inimicitiam* condonaſſet, neque regnum, ſororemque in conjugem rebelli conceſſiſſet; ſed quemadmodum Antiochus Epiphanes Artaxiam rebellem in vincula conjecit, ita quoque Xerſem veluti rebellem, aut rebellis filium regno, vitaque ſpoliaſſet. Quod ſi fortaſſe quis dixerit Artaxiam, & Zadriadem Strabone [3] teſte regnum, quod fraude occupaverant, interpoſita demum Ro-

(1) *Polyb. lib. XI. ecl. 32. p. 907.* (2) *Pag. 99.* (3) *Libr. XI. pag. 531.*

Digitized by Google

Romani Populi auctoritate extremis Antiochi Magni temporibus, Seleuci Philopatoris ejus filii, ac ſucceſſoris aetate, & regnante quoque Antiocho Epiphane Seleuci fratre retinuiſſe, is obſervare etiam debet id Antiocho Magno a Romanis ſuperato, ideoque poſt annum V. C. 564. contigiſſe, quum Antiochus pridem ſuperbiens, ac Romanis infenſus ipſis morem gerere incepit.

Illud etiam, & certe gravius, argumentum accedit quod ſi Xerſis hiſtoria ad Antiochi Epiphanis tempora, ſive ad annum V. C. 588. cum Froelichio referatur, nulla prorſus Antiochi Epiphanis *ſoror*, vel Antiochi Magni *filia* effingi poteſt, quae Xerſi in conjugem concedi potuerit. Certe Appianus ubi memorat Antiochum Magnum, ut ſibi contra Romanos bellum paranti finitimorum regum foedera, & amicitiam conciliaret, de filiarum nuptiis cogitaſſe, ipſius filias omnes enumerat, aſſeritque Laodicem Antiocho, Cleopatram Ptolomaeo, Antiochidem Ariarathi, καὶ τὴν ἔτι λοιπὴν *& eam quae adhuc ſupererat*, Eumeni deſtinaſſe. Ergo poſt annum V. C. 560., circa quem nuptiae illae contigerunt, nulla prorſus ex Antiochi Magni *filiabus*, ſive Epiphanis *ſororibus* ſupereſſe potuit, quae anno V. C. 588. Xerſi concederetur. Quod ſi fortaſſe aut ſoror alia Demetrio promiſſa tunc nubilis adhuc, aut vidua temere ſupponatur, aut eadem illa, quae Eumeni deſtinata fuerat (ut imprudens olim conjeceram) aut Antiochis Ariarathi conceſſa, eo defuncto, Xerſi tradita dicatur, ut conjecit Froelichius, quis exiſtimet Antiochi Magni filiam ad quinquageſimum uſque aetatis annum caelibem extitiſſe, aut Antiochidem quinquaginta annos natam adoleſcenti regi muneris inſtar conceſſam eſſe?

Addi etiam poterit quod in hac ipſa Froelichii hypotheſi duae Antiochi Magni *filiae*, ſive Epiphanis *ſorores* effingi deberent, quae uno eodemque *Antiochidis* nomine vocarentur, quod ita facile concedi ſane non poterit. Sin vero Xerſis hiſtoria ad Antiochi Magni tempora referatur, Antiochis Xerſi tradita ipſius Antiochi *ſoror* juxta Polybium, & Antiochis alia Ariarathi nupta ejuſdem *filia* juxta Appianum, & Diodorum

rum dicetur. Froelichius [1] quidem exiſtimat *Appianum Antiochidis nomen ſororum alteri*, quae Ariarathi nupta fuerit, *contra quam opportebat, tribuiſſe*; ſed immerito ſane Vir Clar. perſpicuum Appiani locum in dubium vocavit, nec obſervavit quod Diodorus etiam Ariarathis uxorem *Antiochidis* nomine perſpicue, diſerteque appellavit. Itaque, ut Froelichii verbis utar, *ne duas Antiochi Magni filias nomen Antiochidis tuliſſe* fingamus, quod ipſi quoque Froelichio abſurdum videtur, Xerſis hiſtoria longe veriſimilius ad Antiochum Magnum revocari debebit, ideoque Antiochis Xerſi tradita ipſius *ſoror* dicenda erit.

Haec ipſa quoque *ſororis*, ac *filiae* varietas a me conſtituta ex eodem illo *Mithridate* deduci poterit, cujus ambiguum nomen Cl. Froelichio impoſuit ut Mithridatem a Diodoro memoratum unum eumdemque fore putaret, qui a Polybio nominatur. Siquidem anno V. C. 588. ex Froelichii calculo Mithridates Ariarathis, & Antiochidis filius, defuncto jam patre, paterno Cappadociae regno potiebatur, nec amplius *Mithridatis*, ſed *Ariarathis* nomine vocabatur, cum Diodoro teſte, ubi is adolevit, *Ariarathis* nomen aſſumpſerit; quemadmodum ſane Appianus [2], & Juſtinus [3] de ipſo loquens illum non priſtino *Mithridatis*, ſed novo *Ariarathis* nomine appellavit. Quis ergo exiſtimet exiguum Arſamoſatae regnum a Cappadocia diſſitum ab Antiochi amicis huic Mithridati vel Ariarathi Cappadociae regi quaeſitum fuiſſe, perinde quaſi paterno regno careret? Quicumque ſane integrum Polybii locum accuratius inſpexerit, longe veriſimilius cenſebit quod Mithridates ille, qui Polybio teſte ex Antiochi ſorore natus erat, neque rex, neque regio genere procreatus erat; ſed ex primoribus ſolum aut Syriae, aut Parthiae Satrapis eſſe debuit: ut quemadmodum nempe Artabanus III. Parthiae rex filiam Mithridati cuidam viro apud Parthos nobiliſſimo conjugem dedit [4], ita quoque Seleucus Callinicus Syriae rex filiam ſuam, & Antiochi Magni ſororem viro cuidam apud Syrios ſpectatiſſimo conjugem conceſſerit. Id vero longe veriſi-

(1) *P.96.* (2) *Syriac. p.118.* (3) *L. xxxv. c.1.* (4) *Joſ. Antiq. l. xviii. c.12.*

riſimilius adhuc cenſeri poterit, ſi Antiochi ſoror, & Mithridatis a Polybio memorati mater ex Callinico non juſtis nuptiis procreata, ſed potius ex pellice nata fuerit. Certe Polybius ait quod Mithridates ille ἦν υἱὸς ἀδελφῆς αὐτοῦ Ἀντιόχου κατὰ φύσιν *erat filius ſororis ipſius Antiochi ſecundum naturam*. Optime quidem novi quod voces illae κατὰ φύσιν *ſecundum naturam*, & φύσει *natura*, ubi de *filiis* agatur, ſaepiſſime occurrunt, ut naturales filii ab *adoptivis* diſtinguantur; nullibi vero, quod noverim, phraſis illa de *ſororibus* uſurpatur, perinde quaſi *ſorores* etiam *adoptivae* haberentur. Itaque, ſi Polybius, qui nullibi certe de ſororibus agens voces illas adhibuit, & eodem ipſo in loco de Antiochide Xerſi tradita loquens ipſam τὴν ἀδελφὴν Ἀντιοχίδα *ſororem Antiochidem* ſolum vocavit, ideoque voces ſuperius adhibitas prorſus omiſit, de ſola Mithridatis matre voces illas adjecit, vehemens ſane ſuſpicio ſuboritur quod illa forte ex Callinici pellice procreata fuerit; quemadmodum ſane Antiochus *Deus* Seleuci *Callinici* pater duas uxores regio tamen genere exortas habuit [1], ex quarum principe Laodice Callinicum genuit, qui ipſi in regno ſucceſſit. Si id ergo quis rite conjecerit, longe facilius intelligi poterit cur Antiochi regis amici huic Mithridati non regi, ſed privato, atque ex adulterina regis ſorore genito, exiguum Arſamoſatae regnum poſtulaverint, quod de Mithridate Cappadociae rege, germanoque Callinici regis nepote concedi ſane vix poterit.

Atque iſta quidem aliquanto fuſius, atque liberius expoſui ut Cl. Froelichius intelligat ſaltem ambiguum, ut modeſtius loquar, obſcurum, & incertum eſſe oportere an Xerſis hiſtoria ad Antiochi Epiphanis tempora, & annum V. C. 583. referri debeat; an Mithridates ille, qui a Polybio memoratur, unus idemque fuerit cum Mithridate Ariarathis filio, qui a Diodoro nominatur; an Antiochis illa, quae Xerſi nupta fuit, Antiochi Magni filia fuerit; ideoque ſimul agnoſcat, & eximia prorſus honeſtate, qua merito commendatur, ingenue fateatur quod ipſius ratio adverſus me propoſita,

K quae

(1) *Appian. Syriac. pag.* 130.

quae iis principiis veluti certis, atque indubiis innititur, geometricae demonſtrationis inſtar haberi non poteſt.

Quod ſi viciſſim ego pluribus melioribuſque argumentis iſtis oſtenderim Xerſis hiſtoriam ad Antiochum Magnum ſpectare, ac Mithridatis Polybio memorati matrem ab Antiochide Mithridatis Cappadocis matre diſtinctam eſſe, nullus, opinor, dubitandi locus ſupererit quin Antiochis illa, quae circa annum V. C. 538. Xerſi conceſſa fuit, Antiochi Magni *ſoror* fuerit; et Xerſes ipſe, qui tunc adoleſcens erat, circa annum V. C. 560. jam maturior in Armeniae parte imperaverit, quae duo veluti praecipua capita in ſuperiori Diſſertatione jam dixeram, & Froelichius acriter quidem, ac ſubtiliter admodum, ſed humaniſſime tamen in poſtremo doctiſſimae Diſſertationis §. IV. impugnanda ſuſceperat.

De *Samo* vero, ut aliqua de ipſo quoque nunc proferam, Froelichius ingenue fatetur [1] ea ſe retractare, & indicta velle, quae de *Arſame* rege jam dixerat, quaeque a me pridem integro Diſſertationis §. IV. impugnata fuerant.

Quid vero ſi Vir Cl. eodem ipſo candore, & modeſtia ea quoque retractare, & indicta velle nunc debeat, quae ſecundis etiam curis in aureolo hoc Libello de *Samo* Chryſogoni filio propoſuit, ut ipſi nummum *Arſami* prius adſcriptum tribueret; cum certe plurimum in explicanda ejus *Sami* patria, indole, ac hiſtoria tum a Polybii mente, tum a veritate aberraverit? Froelichius, ut nummos *Sami regis* nomine inſignes exponeret, plures illuſtres viros in Hiſtoricis *nonnulla diligentia inquiſiviſſe* ſe dicit, qui eo nomine vocarentur; atque inter illos *Zamen* quoque Cabadis Perſiae regis filium enumerat, eumque *forte* a Polybio *in Excerptis de Virtutibus, & Vitiis pag.* 13. 31. memoratum eſſe, adeoque certe a Polybio memorari potuiſſe arbitratur, quamvis Cabades ille ſeptingentis annis poſt Polybii mortem floruerit. Quandoquidem vero duos *Sami regis* nummos nulli prorſus ex Samis iſtis convenire poſſe obſervavit, ingenue modeſteque ſubdit [2] *Quod ſi Sami iſtius Regis, cui nummi debentur, aliqua in* ve-

(1) *Pag.* 91. (2) *Pag.*101.

vetuſtis Scriptoribus extat memoria, fortaſſe Samus huc quadrabit, quem Polybius [1] *Chryſogoni filium, atque cum Antiocho III. Magno Syriae rege educatum fuiſſe perhibet his verbis* : Jam tum elegantis ingenii ſui ſpecimen edere incipiente Samo Chryſogoni filio, qui una cum rege fuerat educatus. *Chryſogonus porro Philippi Macedoniae regis amicus, & dux copiarum Antiochi Magni in Graecia fuit Polybii fide* [2]. *Hujus igitur Chryſogoni filio* Συντρόφῳ *ſuo Samo Antiochus Magnus Dynaſtiam quandam ad Euphratem dediſſe videtur, cui titulum regis aut ipſe Antiochus III., aut ejus filiorum alter Seleucus, aut Antiochus IV. adjecerit; niſi Samus id ipſe ſibi arrogarit.* Itaque Froelichius hunc Samum una cum Antiocho Magno Syriae rege educatum eſſe contendit, ac Polybii textu latine graeceque expreſſo Polybium ipſum ejus hiſtoriae vadem exhibet; quemadmodum *Polybii fide* Chryſogonum Sami patrem Philippi Macedonis amicum, ſimulque copiarum Antiochi Magni in Graecia ducem fuiſſe teſtatur.

Ego vero doctiſſimum Virum in ſingulis hiſce capitibus perſpicue, certoque deceptum eſſe conſpicio. Siquidem Polybius ipſe laudato loco bellum adverſus Aetolos a Philippo Macedonum rege anno V. C. 535. ſuſceptum deſcribens aſſerit a Philippi militibus ipſa quoque Deorum templa in Aetolia direpta fuiſſe, ut Macedones parem injuriam ab Aetolis Dodonae, ac Dii Macedoniae urbe templis illatam ulciſcerentur; tandemque ſubdit [3] κατέγραφον δὲ εἰς τὲς τοίχυς καὶ περιφερόμενον ςίχον, ἤδη τότε τ' ἐπιδεξιότητος τ' τῦ Σαμυ φυομένης, ὃς ἦν ὑὸς μὲν Χρυσογόνυ, σύντροφος δὲ τῦ βασιλέως. ὁ δὲ ςίχος ἦν,

Ορᾷς τὸ Δῖον, ὖ βέλος διέπτατο;

καὶ μεγίςη δὲ παράςασις ἐπὶ τύτοις εἶχε τόν τε βασιλέα, καὶ τὲς περὶ ἀυτὸν φίλυς, ὡς δικαίως ταῦτα πράττοντας, καὶ καθηκόντως ἀμυνομένυς τοῖς ὁμοίοις τὴν τῆς Αἰτωλῶν περὶ το Δῖον ἀσέβειαν *Iidem parietibus verſiculum illum, omnium poſtea ſermonibus jactatum, inſcripſerunt; jam tum elegantis ſui ingenii ſpecimen edere incipiente Samo Chryſogoni filio, qui una cum rege fuerat educatus. Verſus fuit hic,*

K 2 *Vi-*

(1) *Libr. V. p.* 499. (2) *Polyb. apud Strab. Libr. XIV.* (3) *Libr. V. p.* 499.

Vides ne Dium, quo jaculum pervenerit?
Et regem quidem ipſum, ejuſque amicos certa quaedam geſtientis animi fiducia pertentabat, quum juſte, & honeſte hanc ſe putarent talionis vicem ab Aetolis exigere pro illis impiis facinoribus, quae in urbe Dio admiſerunt. Polybius tamen, ut nefarium hoc auſum *non aliunde, quam ex illa ipſa regia, petitis exemplis* improbaret, Antigoni Macedoniae regis pietatem memorat, qui Cleomene ſuperato, Spartaque occupata, ſuam in omnes humanitatem exhibuit. Quis hic aperte non videat Polybium non de Antiocho Magno Syriae rege, ut prorſus immerito Froelichius exiſtimavit, ſed de Philippo Macedonum rege loqui; ideoque Samum illum Chryſogoni filium non cum Antiocho in Syria, ſed cum Philippo in Macedonia, nutritum eſſe oportere? Deinde vero, cum Polybius injecta verſiculi mentione dicat verſiculum illum celebrem extitiſſe, & jam tum Sami ingenium inclareſcere coepiſſe, quis non intelligat a Polybio tacite quidem, ſed non obſcure tamen, oſtendi quod Samus ille non bellicae virtutis gloria, ſed poeticae artis laude florere coeperat: perinde quaſi verſiculus ille, cui acumen aliquod ineſſe videbatur, ab ipſo Samo editus fuerit? Ergo Froelichius ex Polybii loco perperam intellecto non modo Samum ex Macedonia in Syriam tranſtulit; verum etiam ex Macedone Poeta Samoſatorum regem effinxit.

Neque ſolum Samoſatorum regem, ſed conditorem etiam hunc Samum fuiſſe putat Froelichius; atque, ut regiam huic Samo dignitatem afferat, conjecturam aliam ex ipſo Samoſatae nomine deducit, quippe qui exiſtimet (7) *Samoſata urbem ab hoc Samo exſtructam fuiſſe, aut in ejus memoriam*; *idque*, inquit, *comprobare videtur ſilentium Scriptorum hac aetate vetuſtiorum de Samoſatis uſque probabiliter ad Polybium, qui poſt Antiochi III. tempora proxime floruit, quique, quod meminerim, apud Strabonem primus Samoſata urbem appellat*.

At Vir Cl. in hoc ipſo quoque Strabonis, vel Polybii loco explicando plurimum fallitur. Siquidem Strabo itineris ab

(7) Pag. 102.

ab Euphrate in Indiam uſque dimenſiones, ipſarumque terminos exponens ait quod dimenſiones illae eodem prorſus modo tum ab Artemidoro, tum ab Eratoſthene traduntur, cui de locis illis maxime credendum cenſet Polybius: tum Strabo repente ſubdit Ἄρχεται δὲ ἀπὸ Σαμοσάτων τῆς Κομμαγένης, εἰς δὲ Σαμόσατα ἀπὸ τῶν ὀρῶν τῆς Καππαδοκίας σαδίους εἴρηκε τετρακοσίους καὶ πεντήκοντα *incipit autem a Samoſatis Commagenes. Ad Samoſata a montibus Cappadociae ſtadia perhibuit* 450. Perſpicuus ſane Strabonis ſenſus hic poſtulat ut verba illa non Polybii, ſed Eratoſthenis eſſe debeant, cui Polybius credendum eſſe jam dixerat; &, quamvis etiam a Polybio prolata illa forent, manifeſte tamen apparet quod a Polybio ipſo ex Artemidoro, vel Eratoſthene, cui in locorum eorum diſtantiis credendum aſſerit, exſcripta fuerant. Itaque, cum Eratoſthenes circa annum V. C. 480. natus fuerit, ideoque diu ante Samum Chryſogoni filium floruerit, Samoſata urbs, quae ab Eratoſthene memoratur, a Samo illo condi, vel nomen obtinere non potuit, adeoque nullus omnino ex Strabone, vel Polybio character extundi poterit, quo regia Sami dignitas oſtendatur.

Nec multo ſane felicior Froelichius ipſe dum Polybio, ac Strabone [1] teſtibus Chryſogonum Philippi regis amicum ſimulque ducem copiarum Antiochi Magni in Graecia fuiſſe dicit. Etenim Chryſogonus ille ſemper a Polybio pluribus in locis [2] veluti Philippi amicus laudatur, nullibi vero Antiochi dux appellatur, atque in XIV. Strabonis libro, quem Froelichius citavit, ne ipſum quidem *Chryſogoni*, vel *Antiochi* nomen occurrit. Sed quamvis etiam liberaliter concedatur quod Chryſogonus ille Philippi amicus pro Antiocho Syriae rege militaverit, quo demum vade Froelichius ipſe probare unquam poterit quod Samus ille poeta non alterius, ſed hujus ſolum, Chryſogoni ducis filius extiterit, ut proinde Antiochus Syriae rex ipſi Samo partim ob educationem, quam communem cum rege habuerat, partim ob ingenium, quo clareſcere coeperat, partim etiam ob paterna merita aliquod in Syria regnum conceſſerit? Illud etiam accedit quod Antiochi

(1) *Lib. XIV. pag.* 979. (2) *Pag.* 499. 509. 608. 1371. 1383.

tiochi Magni copiae in Graeciam nonniſi anno V.C. 562. trajecerunt [1], adeoque Chryſogoni merita, vel Sami regnum ante annum illum incepiſſe certe non potuit. Itaque 33. regni annus, quo Sami nummum ex epocha ipſi inſcripta cuſum fuiſſe putat Froelichius, poſt annum V.C. 595. incideret, adeoque poſt ſeptem annos quam Antiochus *Deus Epiphanes* defunctus erat; & tamen Froelichius [2] ipſum Antiochi Epiphanis aetate cuſum fuiſſe, & in antica nummi parte Epiphanis ipſius, ac juvenilis quidem, regis vultum expreſſum exiſtimat, & *Dei cultoris* titulum a Samo rege uſurpatum ob *reverentiam Antiocho* IV. *Θεῷ ab rege cliente praeſtitam*.

Itaque, ut paucis omnia complectar, tantum abeſt ut ſinguli characteres a Polybio expreſſi, patria nimirum, indoles, & educatio, aut characteres, & indicia nummo inſcripta Samo poetae aliquod in Syria regnum vindicare poſſint, ut oppoſitum potius manifeſtiſſime oſtendant, certoque demonſtrent quod nummi a Cl. Froelichio prolati cuivis alteri potius, quam huic Samo Chryſogoni filio adſcribi debent; quamvis ipſe quoque ſuperius [3] nullum Samum alium inveniens, cui nummum adſcriberem, interim in Froelichii ſententia acquieſcendum eſſe putaverim. Hinc nullus hic dubito quin Cl. Froelichius, ubi de Samo quoque ſe deceptum eſſe perſpexerit, ingenue modeſteque haec poſtrema Diſſertationis ſuae verba delenda, vel indicta velit: [4] *mihi blandior tantundem, aut forte pluſculum probabilitatis ineſſe huic conjectationi* de Samo Chryſogoni filio, *atque illi, qua Adinnigai ſeu* MINNISARI REGIS *nummus tribuitur* MANISARO *cuidam apud Dionem, tanquam Armeniae regi*. Siquidem Minniſaro Armeniae regi nihil omnino vel ex Dione, vel ex Scriptoribus aliis perſpicue certoque opponi poteſt; plurima vero viciſſim ex eodem ipſo Polybio, cui ſoli regia Sami dignitas inniti deberet, perſpicue, certoque deducuntur, quibus ipſi tum regis nomen, tum nummos a Froelichio prolatos prorſus immerito conceſſos eſſe demonſtretur. Sed haec alii diligen-

(1) *Liv. Libr. XXXV. Appian. Syriac. pag.* 92. (2) *Pag.* 103.
(3) *Pag.* 8. 11. 19. (4) *Pag.* 103.

gentius adhuc inquirant, ſimulque Samum alium inveniant, cui nummi veriſimilius adſcribi poſſint. Etenim mihi illud unum cordi eſſe debuit, ut Dubiis occurrerem, quae Clariſſimus Froelichius adverſus Minniſari nummum a me illuſtratum, & novam Arſacidarum epocham a me conſtitutam maxima ingenii, & honeſtatis gloria propoſuit. Quo ſane loco, ut ingenue honeſteque profitear, duplicem ille, uberioremque gloriam, eruditionis nimirum, ac doctrinae, ſimulque humanitatis, & modeſtiae laudem obtinuit; iiſque facile exemplo eſſe poterit, qui cum opinionem aliquam impugnandam ſuſceperint, adverſariorum placita [1] *aut per ridiculum, aut temere, aut maledice, contumelioſeque*, non ſine maximo litterarum dedecore traducunt. Ego ſane Scriptoribus omnibus, iiſque praeſertim, qui ſeverioribus Chriſtianae doctrinae inſtitutis addicti fuerint, aureum illud Ciceronis [2] effatum ſemper oculis, animoque obverſandum putaverim quod *Diſſidentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandae; maledicta, contumeliae, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces indignae Philoſophia*, ac diſciplinis omnibus *videri ſolent*.

(1) *Cic. Offic. Libr. 1. c. 37.* (2) *De Fin. Lib. 1. c. 8.*

F I N I S.

MONITVM.

Exſcriptoris properantis incuria alicubi verſus excidit, atque alibi integra periodus omiſſa fuit. Itaque pag. 23. poſt verſum 12. Syriae regum ſeries addito verſu ita reſtitui debet.

ANTIOCHVS	*Magnus*	530
SELEVCVS	*Philopator*	566
ANTIOCHVS	*Epiphanes*	577

Pag. 32. verſu 12. poſt vocem nominaverit *haec periodus addi debet*: Id vero non a Syncello ſolum, & Euſebio, ſed ab aliis etiam Scriptoribus aliquando uſurpatum eſſe demonſtrat Trogus, qui in Prologo Libri XL. ait: *Extincta regali Antiochorum domo Tigranes Armenius Syriam occupavit*; moxque de Cleopatra, ejuſque morte loquens ait: *belli Actiaci fine extinxit regnum Ptolemaeorum*; ideoque Trogus etiam *Antiochorum* nomine ſingulos Syriae, *Ptolemaeorum* voce ſingulos Aegypti reges deſignavit; quamvis alibi reges ipſos ſuo, diſtinctoque titulo nominaverit. Ergo &c.

2021093